



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S.Th. quondam
Louanij Professoris Tractatus De Restrictionvm Mentalivm
Abvsv**

Malderen, Jan van

Antverpiæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-41105




649

M. 2249.

G II

27.





IC
E
S

R

E

IOANNIS MALDERI
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
S. Th. quondam Louanij Professoris
TRACTATUS
DE
RESTRICTIONVM
MENTALIVM
ABVS V.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.
M. DC. XXV.

IN THE NAME OF THE
HONORABLE SENATE
OF THE UNIVERSITY OF
PADERBORN
THE DEAN
OF THE FACULTY OF
THE ARTS
AND
LIBERAL SCIENCES
HAS THE HONOR TO
ANNOUNCE
THAT THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
PADERBORN
HAS RECEIVED
FROM THE
ESTATE OF
MR. J. H. B. B.
A COLLECTION OF
BOOKS
CONSISTING OF
THE FOLLOWING
TITLES
AND
VOLUMES
TO BE
BOUND
AND
PLACED
ON THE
SHELVES
OF THE
LIBRARY
AS SOON
AS
CONVENIENT
CAN BE
ARRANGED
BY THE
LIBRARIAN
AND
THE
DEAN
OF THE
FACULTY
OF THE
ARTS
AND
LIBERAL
SCIENCES
HAS THE HONOR
TO
ANNOUNCE
THAT THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
PADERBORN
HAS RECEIVED
FROM THE
ESTATE OF
MR. J. H. B. B.
A COLLECTION OF
BOOKS
CONSISTING OF
THE FOLLOWING
TITLES
AND
VOLUMES
TO BE
BOUND
AND
PLACED
ON THE
SHELVES
OF THE
LIBRARY
AS SOON
AS
CONVENIENT
CAN BE
ARRANGED
BY THE
LIBRARIAN
AND
THE
DEAN
OF THE
FACULTY
OF THE
ARTS
AND
LIBERAL
SCIENCES

ILLVSTR^{M^o} ET REV^{M^o}

DOMINO
D. ALPHONSO

S. R. E. CARDINALI

DE LA CUEVA

REGIS CATHOLICI

IN BELGIO LEGATO.



VM meditatus es-
sem aliquid contra
mentis restrictio-
nes, quibus non-
nulli, alioqui non
contemnendi, nimis indulgere
mihi videbantur; eaque lucubra-

A 2 tio

tio viris doctis & prudentibus vi-
deretur pro communi utilitate
posse euulgari: aptius id futurum
existimaui, si fieret sub auspicijs
Ill^{mae} A. V. Itaque hunc qua-
lemcumque Commentariolum
meum vt suo Nomini inscri-
bi patiatur, enixè rogo. Quam-
uis enim paruus sit, & magna
Ill^{mae} A. V. debeantur; est tamen
scriptus pro vera simplicitate
& sinceritate Christiana asse-
renda & tuenda; eaque sua pro-
fessione & proposito fides, et-
iam Magnos confidenter adit &
interpellat. Quare pro sua hu-
manitate dignetur quæso eum
admittere in suam clientelam;
atque me, vt facit, amare per-
gat: qui pro longa Ill^{mae} Amplitu-
dinis

is vi-
litate
rum
icijs
qua-
lum
cri-
am-
gna
nen
ate
ffe-
ro-
et-
&
u-
m
;
er-
u-
is

dinis Vestrae prosperitate Deum
precabor. Antuerpiae, Kalendis
Septembris, 1624.

ILL^{mae} ET REV^{mae} A. V.

obsequio devotus

IOANNES MALDERVS

Episcopus Antuerpiensis.



A 3

IN-

INDEX CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

OCCASIO & *scopus* *scriptio-*
nis. Pag. 9.

CAPVT II.

Scripturarum loci de hoc argumento. 13.

CAPVT III.

Veterum Scriptorum sententia. 15.

CAPVT IV.

Scholasticorum opiniones. 20.

CAPVT V.

Quenam certa sint in hac materia; & de
quibus inquirendum supersit. 32.

CAPVT VI.

Mendacium numquam licere. 35.

CAPVT VII.

Quæ sit virtus Veracitatis. 50.

CAPVT VIII.

An virtus Veracitatis obliget loquentem
tantum ad conformandum verba sua me-
ti propria; an verò etiam ad conforman-
dum menti ipsius cui fit sermo. 52.

CA-

CAPVT IX.

*An sit aliqua inclinatio ad Veritatem nu-
dam dicendam ex Veracitatis virtute
sine obligatione sub peccato.* 57.

CAPVT X.

*Quando teneamur ad mentem eius cui lo-
quimur verba nostra formare, & ipsi
etiam eodem modo intelligere; & quan-
do ad illud non teneamur.* 61.

CAPVT XI.

*Quando, licet non teneamur ex præcepto,
tamen à Deo inclinemur ad abstinèn-
dum à restrictionibus mentalibus in col-
loquio cum proximo nostro.* 76.

CAPVT XII.

*Satisfit argumentis quæ contra senten-
tiam iam probatam obijci possunt.* 78.

APPRO.

A 4

APPROBATIO.

HVNC de Restrictione mentali Tractatum, utilem ac propè necessarium censeo, propter enormem multorum excessum, qui à Christiana simplicitate ac sinceritate recedunt, parum expedientes quod monet Apostolus: Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. non ait cum animo & corde suo, sed cum proximo suo. Veritatem nimirum inesse vult verbis, quæ (attentis simul circumstantijs) proximo enuntiamus exterius.


Guliel. Fabricius Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

IOAN.

9
IOANNIS MALDERI
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
TRACTATUS
DE
RESTRICTIONVM
MENTALIVM
ABVS V.

CAPVT PRIMVM.

Occasio & scopus scriptiois.

RAVE, ingratum & durum
est audire, quòd hæretici ca-
lumniam, & Catholici Catho-
licis litem moueant super re-
strictionibus mentalibus, qui-
bus hodie non pauci proximo in corde &
corde, hoc est in dolo, loquuntur. Operæ
pretium itaque fuit arripere calamum con-
tra hoc malum, quo Euangelio infidiæ
struuntur de Euangelio; & quantum Deus
dederit, & calumniatoribus per rationum
momenta occurrere, & dissidentium in-
quietu-

10 10. MALDERI TRACTATVS
quietudini, & offenforum scandalis reme-
dium afferre. Peruadit enim istud contagij
etiam bonas animas, quando diabolus, qui-
bus mentiri non persuadet, iam restrictione
mentali vel secreta reservatione, euasione,
aut subintellectione quasi mendacij succe-
danea abuti procurat, magna conscientia-
rum iactura, præcipuè apud eos qui nimis
facile arripiunt consilium dupliciter respon-
dendi, vt simplicis silentij consequantur ef-
fectum.

Si in multiloquio non desit peccatum,
quomodo deerit in isto sermone fucato &
bicordi? Si rectè dixerit S. Bernardus, Sermo-
ne de Triplici custodia, grauem esse perni-
ciem oris incircumspecti; longè grauiorem
rectè dixeris humano generi perniciem à la-
bijs dolosis, & à duplici corde ad omnem
fallaciam circumspecto. Omnis controuer-
sæ humanæ finis est iuramentum: at quo-
modo erit, si etiam in iuramenta licentius
irrepat hæc sinceri commercij sermonisque
humani inimica duplicitas? Etiam à Iudice
interrogatus, occultum apud se finget esse
illud de quo quæritur. Iurabit hoc antidoto
munitus falsum esse quod verum est, & ve-
nenum periurij, theriaca huius restrictionis
correctum, innoxium sibi esse putabit. Per
huius secretioris doctrinæ nimium abusum
publi-

publica & priuata omnia turbantur. Pacta enim omnia periclitantur, cum qui verbis concedit totum, mente iniurata seruet sibi totum: quasi sufficiat ea excusatio, *Iuravi lingua, at mentem iniuratum teneo.* & illud Priscillianistarum:

Iura, periura, secretum prodere noli.

Nec filij parentibus, nec iam vxor viro, neque serui dominis fideles, semper de peculio arcanæ mentis solliciti per secretum huius fraudis. Quid? quod etiam Confessio fidei hac ratione non satis fiet incorruptè ab ijs qui restrictionibus eiusmodi vti assueuerint? Atque ita fiet, hac arte, diuina & humana omnia misceri.

Scio quosdam nimum excedere in reprehensione eorum Catholicorum, qui aliquotusque, & in casu, vsum mentalium restrictionum admittunt. Verum ij dupliciter peccant: vno modo, quod propter vagum abusum rei, omnem etiam eius ritè correctum vsum sublatum velint; altero, quod partes sibi sumant nullo modo sibi convenientes. Quis enim credat idoneos esse sinceritatis assertores ac vindices, in quibus parum sinceritatis aut veri candoris residuum est? Monuit Ecclesiasticus cap. 37. non esse consultandum de honestate cum inhonesto: ita sanè neque cum mendace de
veri-

*Seſtarij
quare mi-
nus indi-
geant reſtri-
ctionibus
mētaliſus.*

Cap. 9.

veritate. Forſan hoc magis quis ſuſpicabitur, ideò liberius ipſos omnes mentales reſtrictiones è medio tollere, quòd ijs non indigeant, vtpote quibus mentiri aperte ita familiare eſt, vt etiam vera dicentibus nemo tutò audeat credere. *Antiquus enim ſermo eſt* (inquit Hieronymus Epistoła 37. ad Iulianum) *Mendaces faciunt vt nec vera dicentibus credatur.* Efficiunt enim iſti mendacij concinnatores, vt etiam in populo Chriſtiano, qui omnem ſinceritatem alioqui profitetur, locum habeat quod Ieremias in Iudæis reprehendit: *Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis.* Et infra: *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium; vt iniquè agerent, laborauerunt. Habitatio tua in medio doli.* Meritò certè aliquis noſtri temporis Ieremias populi Chriſtiani qui hodie ſunt circa veritatis ſimplicitatem degeneres mores ad ſimilem modum deploraret.

CA

CAPVT II.

Scripturarum loci de hoc argumento.

VT viam struamus nostræ tractationi, per Scripturarum campos discurrentes, quædam colligemus quæ ad restrictionem mentalem videntur pertinere. Abraham Gen. 12. & 20. cum restrictione mentali videtur Saram dixisse sororem suam, & ipsa Abrahamum fratrem suam. Quod imitatus est Isaac cap. 26. & Iacob cap. 27. Michæas Propheta cap. 22. lib. 3. Regum in verbis illis: *Tradet eam Dominus in manus Regis.* Similiter Elifeus Propheta, consultus per Hazaëlem à Benadad Rege Syriæ ægrotante super conualescentia sua, respondit: *Vade, dic ei; Sanaberis.* vbi mentaliter videtur id restrinxisse, quantû erat ex vi morbi, quia quoad euentum occasionis per strangulationem, qua suffocatus fuit Rex ab ipso Hazaële, subiungit Propheta: *Porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur.* vt videre licet lib. 4. Reg. cap. 8. Neque enim recipiendum est quod quidam ex Hebræo legendum volunt, *vade, dic ei: Non viuens viues.* est enim error ex mendosè posita littera Aleph loco Vau, vt videre licet apud Tostatum in illum locum. Raphael Tob. 5. *Ex filijs Israel*

*Abraham
uxorem
suam dicit
esse sororē.*

*Michæas &
Elifeus
ambiguè
locuti.*

Raphael.

ego

*Ipsè Chri-
stus.* ego sum Azarias Anania filius. Ipsemet
Christus Dominus Marci 3. De die illa nemo
scit, neque filius hominis: vbi suppleuit, vt vo-
bis dicatur. & Ioannis 7. Non ascendam ad
festum: vbi suppleuit, manifestè.

*Iudith no-
uies amphi-
bologia ho-
stes decipit.* Iudith cap. 10. & 11. multa videtur dicere
quæ non nisi restrictione mentali saluentur.
Primò, quando dicit se fugisse, eò quòd sci-
ret Bethuliam deprædandam. Secundò, se
dicit venisse vt indicet secreta Bethulie
Holoferni, & quomodo possit occupare
eam sine vllius viri amissione. Tertio, dicit
Holoferni quòd Deus rem perfectam cum
eo sit factururus si ipsam audierit, consilijque
ipsius verba fuerit secutus. Quarto, iurat per
Holofernem, Nabuchodonosori parere
homines & bestias agri. Quintò, dicit Holo-
fernem solum esse bonum in ditionibus
Monarchiæ Assyriorum. Sextò, dicit Israe-
litas certò tradendos, eò quòd sancta Dei
violare statueriat. Septimò, se nuntiaturam
dicit tempus quo inuadenda sit Bethulia.
Octauò, se ducturam Holofernem per me-
diam Ierusalem, & ipsum obtenturum to-
tum populum Israel, sicut oues pastore de-
stitutas. Nonò, cap. 12. cum sollicitaretur ad
illicita ab Holoferne per eunuchum, dicit se
facturam quod ei visum fuerit. Mater etiam
septem fratrum Machabæorum martyrum
vide-

DE ABVSU RESTRICT. MENT. 15
videtur mente aliquid suppleuisse, quando
2. Machab. 7. Antiocho promisit se suasu-
ram filio suo natu minimo. Harum & si-
milium Scripturarum explicationi lucem
adferet noster hic Tractatus, & vicissim do-
ctrina in eo tradita illustrabitur sacræ Scri-
pturæ istis exemplis.

C A P V T I I I.

Veterum Scriptorum sententia.

DIVVS Augustinus primus nobis sit, non
tempore, sed scriptorum suorum ac
doctrinæ vbertate & soliditate. Is Epistola 8.
quæ est ad B. Hieronymum, valdè improbat,
quòd dicatur in Libris sanctis aliquid esse
mendacium etiam officiosum in laudem
Dei, eò quòd Deus, qui Veritas est, mendacio
honorari non possit; & quòd totius Scriptu-
ræ concidat auctoritas, si in ea vel talia sint
mendacia officiosa. Restrictiones mentales
in casu certo differunt quidem à mendacio;
sed multum eleuat earum vsus auctoritatem
loquentis, præsertim quando eis vtitur apud
eos quibus notæ non fuerint certæ regulæ,
per quas constet quando his restrictionibus
vti liceat, & quando non liceat: nam quoad
istud, idem ferè incommodum parit restri-
ctio mentalis quòd mendacium; de quo
Augu-

*In Dei ver-
bo non po-
test esse
mendaciū.*

*Restrictio-
nes menta-
les auctori-
tatem lo-
quentis mi-
nuunt.*

Augustinus dicit: *Nisi forte regulas quasdam daturus es, quibus nouerimus ubi oporteat mentiri, ubi non oporteat.* Ceterum apud eruditiores quid per regulas hinc profici possit, quas infra Cap. 10. suggeremus, prudentis Lector iudicet: nam mihi nondum liquet, prorsus euitari eius, qui talibus restrictionibus familiariter utitur, in auctoritate dispensandum. Applicabo enim verba D. Augustini, quæ contra mendacium scribit cap. 4. *Suspicienti dicturus es, hoc tunc ideò fieri ut caperem te. Sed quid respondebis dicenti, Vnde igitur scio, utrum etiam nunc id facias ne capiaris à me? Vidésne quò tendat hoc malum, ut scilicet non solum nos illis, ipsiq; nobis, sed omnis frater omni fratri non immeritò videatur esse suspectus.*

*Iudith
imagina-
riis verbis
loquens,
non fuit in-
tellecta ab
Holoferne.*

Est inter Augustini Sermones de Tempore, ordine 229. vetusto & culto stylo, quamuis fortè alterius quàm ipsius sit Augustini, ubi de Iudith ita dicitur: *Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perficit actibus quod promisit. Dum Regi alto sermone imaginariis verbis blanditur, bellator animus lasciuiâ soluitur.* Vbi Auctor videtur insinuare, Iudith usam fuisse stratagemate restrictionis mentalis citra mendacium, quando Holofernem decepit. Fauet Gregorius lib. 26. Moralium cap. 7. citatus cap.

cap. Humanæ aures 22. q. 5. *Humane aures
verba nostra talia iudicant, qualia foris so-
nant: diuina verò iudicia talia esse audiunt,
qualia ex intimis proferuntur.* Hilarius lib. 4.

de Trinitate: *Intelligentia dictorum ex cau-
sis est assumenda dicendi: quia non sermoni res,
sed rei est sermo subiectus.* Citatur c. Intelli-
gentia, De verborum significatione.

*Ex causis
dicendi su-
mendus est
verborum
sensus.*

Extat inter Opera D. Augustini Tom. 9.
liber de Conflictu vitiorum & virtutum, sub
eius nomine citatus ab Iuone & Gratia-
no 22. q. 2. c. Nec artificioso. quem tamen
stylus & mentio Regulæ S. Benedicti con-
uincunt non esse Augustini, aut, quod alij
voluerunt, Leonis. Iste cap. 19. *Fallacia,*
inquit, *atque mendacium & ipsa vnum di-
cunt. Fallacia autem fit ingenio: mendacium
verò simplici verbo. Fallacia igitur dicit, cum
in non dando aliquem illudere querit: Quid in
petendo moras nectis? non habeo quod tibi tri-
buere possim. Celans utique in corde suo quid
habet, vel quid sibi conseruet, vel quid aliis si
voluntas inest tribuat. Mendacium dicit: Om-
nino quod postulas non habeo. scilicet non arti-
ficioso ingenio, sicut fallacia, sed simplici nega-
tionis verbo frustratur poscentem Sed Veritas
ad utraque respondet: Nec artificioso ingenio
nec simplici verbo oportet decipere quemquam:
quia quolibet artis modo mentiatur, Os quod*

*Fallacia
& menda-
cium diffe-
runt.*

mentitur occidit animam. Sanè videtur Auctor iste fallaciæ & mendacij damnare euasiones istas communes per restrictiones merè mentales. Epiphanius Hæresi 35. docet Christianam doctrinam esse illas aquas Siloë quæ vadunt cum silentio, de quibus Isaias cap. 8. ideoque à Christiana professione esse alienos sermones fucatos. verba eius attexam: *Nos autem Deo gratias agamus, quòd per pauca ac simplicia verba Veritas filios suos ad rectam viam deducere solet, & impia ac fastuosa per multam artem fucata dispergit, euertitq; ac delet, placidè incedens, velut clarè videre est ex Prophetico sermone. Accusans enim Propheta eos qui horrenda curiosè sciscitantur, & nugas ad suam ipsorum fraudem ac perniciem excogitant, dixit, Propter eà quòd non voluistis vos aquam Siloam placidè procedentem, produxit super vos Dominus aquam fluminis, regem Assyriorum. Aqua enim Siloam est doctrina eius qui missus est. Quis autem fuerit hic quàm Dominus noster Iesus, à Deo Patre missus? Placidè autem procedit, eò quòd nihil inane, nihil confictum, sed in veritate sanctam suam sponsam docet.*

Qui ergo ad sponsam Christi pertinent, sciant se sanctam simplicitatem profiteri columbæ: & caueant, ne pro serpentis prudentia veteratoriam istam assumant astutiam,

tiam, contra illud Apostoli ad Coloss. 9. *No-
lite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem
hominem cum actibus suis.* Prudentiam ser- Heresi 37.
pentis explicat idem Epiphanius alio loco in
eo sitam, quòd pro capite tuendo reliquum
corpus exponat periculo, & quòd venenum
deponat ad fontem vadens. Hanc ergo pru-
dentiam imitamur quando obedi- mus Apo-
stolo dicenti ad Eph. 4. *Propter quod depo-
nentes mendacium, loquimini veritatem vnus-
quisque cum proximo suo.* est enim menda-
cium instar veneni cuiusdam, omnem hu-
manam conuersationem inficientis. Est in-
quam venenum productum à diabolo anti-
quo illo serpente.

Sanè antiqui illi mendacij patroni etiam
istud fatebantur; sed dicebant aliquando
mendacio esse vtendum, sicuti veneno vti-
mur in medicamentis. Sicuti enim apud Me-
dicos aliud est salubre simpliciter, aliud fe-
bricitanti; ita putant non quidem simplici-
ter, sed aliquando, præsertim Reip. causa, li-
citur esse mentiri. Platonis hæc sunt verba
libro quinto de Rep. *Crebrò mendacio &
fraude imperantem vti oportet ad commodum
subditorum.* Quando enim Reip. id postulat
necessitas, multa dicunt fieri cum dolore,
imò & cum pudore facientium, quibus &
istud annumeres. Hac arte Tiberius Impe-

rator erat instructus; cuius ea propter Tacitus
 verba vocat *obscura, suspensa, perplexa, elu-
 etantia, in speciem composita*. Plautus ta-
 lem dictionem vocat *orationem intortam*,
 Cicero *verborum inuolucra*. Ex Xeno-
 phonte constat, apud antiquos Persas magi-
 strum fuisse qui pueros doceret interdum
 mentiri, decipere, calumniari, fraudare.
 Gregorius libro 10. Moralium cap. 27. ad
 illa verba, *Deridetur iusti simplicitas*, ita
 scribit: *Huius mundi sapientia est, cor machi-
 nationibus tegere, sensum verbis velare; quæ
 falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, fal-
 sa demonstrare. hæc nimirum prudentia usu à
 iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio disci-
 tur. Et infra: At contra, sapientia iustorum
 est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis
 aperire.*

CAPVT IV.

Scholasticorum opiniones.

SCHOLASTICI de hac re tractant, quando
 de restitutione famæ faciendâ per eum
 qui verum crimen sed occultum detexit: illi
 enim restitutio vix est possibilis, nisi recur-
 ratur fortè ad restrictiones mentales, qui-
 bus sermo condiatur. Item, quando agunt
 de hereditatis iniusta occupatione auertenda
 per

per adulteram habentem filios legitimos, aut de adultera quam maritus examinat. Item, quando tractant de reo & teste non legitime à Iudice interrogato. Item, quando agunt de Confessario, qui vrgetur vt reuellet confessionem, aut generatim de tegendo secreto à proximo nobis commisso. Item, in materia iuramenti, vbi quæritur, an ad mentem exigentis iuramentum, sit iurandum. Item, in materia de veracitate & mendacio, de simulatione, de insidijs in bello iusto.

Interpretes Scripturæ idem argumentum tractant ad loca Scripturæ Cap. 2. à nobis annotata.

Est hæc opinio Dominici Soti de Tegendo secreto, membro 3. q. 3. conc. 5. & lib. 5. de Iustitia q. 9. art. 2. non licere vti restrictione mentali, nisi quando illa ipsa mentalis restrictio secundum communem concipiendi modum innotescere potest auditori, ita vt æquiparari possit amphibologiæ & æquiocationi: quibus vti licet, non ad proferendum mendacium, sed ad tegendam veritatem; quam tegendi hîc & nunc ius habemus. Quando autem eiusmodi vsum restrictio mentalis habeat aut non habeat, dignoscendi modum suggerit eiusmodi: si verba quibus vtimur, dicant ordinem ad

*Prima sententia.
Dominicus Soto distinguit inter nescire & non fecisse.*

Ad tegendam veritatem licet vti amphibologia.

loqui & manifestare, habet vsum restrictio mentalis: si talem ordinem non dicant, restrictio mentalis non sufficet euitando mendacio, quia impedit omnem intellectum, quem ex communi hominum vsu habere potest auditis istis verbis auditor. Itaque putat Soto, citra mendacium homicidam interrogatum, an fecerit homicidium, non posse respondere se non fecisse, subintelligendo se non fecisse, sic vt teneatur fateri, aut quid simile. Si autem interrogetur, an nesciat quis homicidium istud perpetraverit, posse dicere, se id nescire, intelligendo tacite, sic vt teneatur dicere; eò quòd scire & nescire, audire & non audire, & similia, dicant respectum ad dicere vel reuelare: ita vt secundum communem modum intelligendiauditorum intelligant aut intelligere possint, quando quis dicit se nescire, significari quòd nesciat ad dicendum vel reuelandum. Hanc Soti sententiam secutus est Genesius Sepulveda Opusculo de Ratione reddendi testimonium. Sed alij plerique longè laxiùs sunt flucti, & quidem apertè multi in iudicio reum aut testem non legitime interrogatum excusant à mendacio, si dicat se non fecisse quod fecit, aut non vidisse quod vidit; eò quòd ipsa interrogatio, hoc ipso quo fit in iudicio, hunc iudicalem, iuridicum & legalem sensum

*Secunda
aliorum
sententia.
Interrogatio in iudicio licere
per mentem
restringere
sermonem
ad sensum
qui deberet
esse interrogantis.*

sum iure præsumi debeat habere, vt non se extendat vltèrius, quàm ad id quod legitime interrogari potest. Verè ergo talis reus aut testis iam respondet ad mentem Iudicis, non quam habet, sed quam habere debet, & iam Iuris fictione habere censetur, eo ipso quo iuridicum illum actum exercet. Ita locuti Adrianus in 4. q. de Sigillo Confessionis, in solutione secundi argumenti. Scotus in 4. D. 15. q. 4. Salonius in 2. 2. q. 69. a. 2. Controuersia 11. Sanchius in Decalogum lib. 3. cap. 6. qui pro sua diligentia plurimoseiusdem sententiæ citat, & eandem extendit etiam extra iudicium; vti & Salonius. Sanè restrictio Soti ad verbum *scio, nescio, audiui, non audiui*, & similia, non est fundata. Quis enim dixerit veriùs eum loqui, qui dixerit, cum audiuerit, se non audiuisse; quàm eum, qui cum fecerit, dicit se non fecisse, vtrobi- que subintellecto, sic vt debeat id fateri? Videtur verè censuisse Salonius, quando distinctionem istam Soti vt figmentum quoddam damnauit. Non minus etiam restrictio illa ad responsum in iudicio nobis impro- batur; quamuis enim in iudicio reus aut testis non soleat se vltro ingerere, sed ferè soleat interrogari: interrogati autem libertas maior sit ad restringendum sermonem suum mentaliter quàm vltro loquentis, vt dice-

*Reiicitur
distinctio
Soti.*

*Non in solo
iudicio est
locus restri-
ctionibus
mentalibus.*

*Interroga-
tus liberius
restringit
mente.*

mus cap. 10. & ferè obseruant communiter Doctores. Non video tamen, quare interrogatus à priuato non habeat æqualem, si non maiorem, libertatem vtendi restrictione mentali, quàm habeat non legitime interrogatus à Iudice; supponendo quòd æquè habeat ius celandi veritatem, vt certum est habere frequenter posse.

Sunt qui alia hîc distinctione vtuntur. Dicunt enim, amphibologia & æquiuocatione licere quidem vti, non tamen restrictione mentali. Ad quos obseruauimus suprâ satis accedere Dominicum Sotum. Fauet Paludanus in 4. dist. 21. q. 3. a. 3. Clarius Caietanus 2. 2. q. 89. a. 7. Aforius Tom. 1. Moralium institutionum l. 11. c. 4. q. 5. Aragon 2. 2. q. 69. a. 2. & q. 89. a. 7. conc. 2. circa solutionem ad 4. Lopes 1. P. Instructorij cap. 42. Neque aliud videtur voluisse Siluester v. Mendacium & v. Accusatio: quamuis enim admittat in casu licere mentem restringere cautelosè & sophisticè; intelligit tamen in casu, quo aliquo modo exterius etiam significetur sensus ille sophisticus: quamuis v. Iuramentum 4. q. 7. videatur propter c. Vtilem, de quo dicemus infrâ, tenere quòd non teneatur dare centum, qui iurauit ea dare, si sola mente addiderit aut subaudiuerit cõditionem, Si debuero. Verùm

*Tertia
aliorum
sententia,
qua dicit
licere qui-
dem vti
æquiuoca-
tione, non
tamen re-
strictione
mentali.*

Verum omnino numquam fieri ut quis
 utatur eiusmodi mentali restrictione sine
 mendacio, nisi quando verba ambigua sunt,
 & in sensum sic restrictum ex vulgi aut sal-
 tem sapientum usu ducere possunt, alijs du-
 rum & non probandum videtur. Tamen
 etiam isti requirunt, ut saltem attentis cir-
 cumstantijs & adiunctis, verba præ se ferant
 id quod respondens intendit, ut fit in ironijs
 & irrisionibus aut iocosis, ut nimirum quo-
 dam modo vultu, aut gestu, aut aliter sup-
 pleatur quod explicatori verborum signifi-
 cationi deest.

*Quarta
 sententia,
 eaq; vera,
 sine menda-
 cio licere
 uti mentis
 restrictio-
 nibus ad sen-
 sum qui
 saltem cir-
 cumstantiis
 insinuetur.*

Alij denique longè largiores, neque hoc
 necessarium putant, sed absolute dicunt
 posse absque mendacio verba usurpari,
 etiam si ex sua significatione non sint ambi-
 gua, neque ex circumstantia, aut aliter exte-
 rius; sed sola mente addatur quod ad eorum
 verificationem spectat. Ita tenet, supra cita-
 tus Sanchius, qui citat pro hac sententia
 Angelum. v. Iuramentum 5. num. 9. Silue-
 strum eodem verbo 4. q. 7. & alios mul-
 tos, & probat ex illo Ioannis cap. 7. *Non
 ascendam ad diem festum.* vbi Dominus sub-
 ticit, & mente restrinxit, *manifestè.* At for-
 san hoc à quoquam reijci poterit, quia Do-
 minus satis loquebatur ad mentem illorum,
 quibuscum agebat, qui eum volebant cum

*Quinta
 sententia,
 restrictio-
 ne sola men-
 tis tolli
 menda-
 cium.*

fui manifestatione transire in Iudæam, occasione Scenopegiæ, & manifestè in ea conuersari, vt sic se mundo manifestaret, vt satis ex Textu colligi potest. Adducit & factum Angeli dicentis se esse Asariam ex filiis Israel, apud Tobiam; Iacob dicentis se esse Esau; Iudith multa dicentis Holoferni & seruis eius, quæ non nisi mentali restrictione à mendacio saluentur. Verùm ad ista non deest responsio, vt videre licebit infra.

*Approba-
tur quarta
sententia.*

Itaque magis placet eorum sententia, qui nõ admittunt vtentem restrictione mentali absolui à mendacio, nisi quando ipsa restrictio aliquo modo in dictis eius exteriùs, ratione saltem circumstantiarum, aut ratione sensus quo debebat interrogatio ei fieri, aut alio modo ex aliquo hominum usu, vt infra Cap. 10. dicitur, manifestatur. Quã sequitur & benè explicat Ægidius Koninck de Actibus supernaturalibus disp. 10. dubio 3. Eamdem tenet Asorius supracitatus Regula quinta; & existimo esse communem Patrum & antiquiorum Scholasticorum. Non obscure insinuat eam D. Thomas in 3. d. 38. a. 3. ad 5. vbi docet, si opus aliquod fiat per quod datur intelligi falsum, posse id interdum excusari; non posse autem quando falsum voce significatur, eò quòd per se ordinatæ sint voces ad significandum. Possum enim ad
regen-

tegendam veritatem aliquid facere quo hostes ducantur in errorem, vt fit in stratagematis bellicis; sed non possum mendacio hostes circumuenire, vt dicemus Capite sexto. Distinctio illa vocis & operis ad significationem adhibiti valde est notanda; nam eius inaduertentia multos fallit. Si tamē sola mentis restrictione mendacia vocalia excusentur, non erit vsus magnus huius distinctionis. Sanè mirum est, viros doctissimos potuisse in Sanchij opinionem, quam quintam posuimus, tanto numero condescendere: præter citatos enim pro ea facit Nauarrus in c. Humanæ aures, 22. q. 5. vbi ex professo toto illo suo Commentario docet aut confirmat hanc opinionem. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 13. puncto 2. quibus addere licet Toletum l. 5. c. 58. Suarem Tomo 2. de Religione l. 3. c. 10. & 11. Lessium de Iustitia lib. 2. cap. 42. dub. 9. qui tamen solùm tamquam probabiliorem hanc sententiam defendat.

Extendit autem Suarez suam doctrinam, dicens, idiotæ, qui non possit prudenter formare sibi restrictionem mentalem, consultum fore, vt intendat negare vel affirmare in sensu qui re ipsa veritatem contineat. Pro quo necessum sit, vt saltem generatim sciat alio vero sensu se posse negare, quod reuelare non tenetur, quamuis in particulari nesciat modum.

*Instructio
Suarez pr
idiotæ.*

*Refellitur.**Solamentis
restrictio
numquam
vocem ve-
ram reddit.**Simplicitas
& duplici-
tas cordis.*

modum. Verùm ista, saluo honore tanto-
rum virorum, non sine incommodo ita ex-
tenduntur, vt quiduis, licet falsissimum, ve-
rum fieri possit restrictione sola mentali.
Verissimè potiùs dixeris, Nullum esse exte-
riùs prolatum sermonem, qui verificari
possit, cùm alioqui falsus sit, sola additione
vel restrictione mentali, nisi aliud accesserit.
Dicunt, disparatum esse sensum, non con-
trarium. Respondeo, Etiam si hoc concesser-
imus, esse tamen mendacium: omne enim
disparatum infert aliquam repugnantiam;
vtpote si dicas de Socrate, quod de Platone
intelligas. Sanè repugnat is sermo veritatis
virtuti & simplicitati, & propriè est eorum
qui dupliciter in corde & corde loquuntur,
& ad duplicitatem pertinet; qua, (vt dicit
Antoninus 4. p. tit. 5. c. 15.) homo vnum in-
tendit, & aliud prætendit. Econtrà simplici-
tatem ad veritatem pertinere, colligere pos-
sumus ex cap. 1. Iob: vbi enim Vulgatus ha-
bet, *erat vir ille simplex*, Lxx. Vaticani ha-
bent, *erat homo ille verax*. Profectò detestan-
da illa duplicitas adeò misera est, vt ne qui-
dem fallere, quod solum agit, possit, nisi in-
duat laruam simplicitatis. Itaque non nisi
per speciem quamdam simplicitatis contra
simplicitatem facit. Sub specie simplicitatis
ementitâ, fidem mendicat aut furatur; adeò
men-

mendacium nihil potest nisi sub veritatis imagine. Neque miretur quispiam, detestandam nos dixisse duplicitatem; nam & Scriptura os bilingue detestatur, & vix dicit ijs qui duplici sunt corde.

Illud notandum, Angelum & Siluestrum uti pro fundamento suæ doctrinæ capitulo Vtilem, 22. q. 2. de quo dicemus infra Capite sexto: certè factum Iehu, quod illo capitulo probatur, improbum fuit, & à mendacio non excusatur. Fundamentum itaque huius opinionis istud caducum est, ideoque malè fundata videtur opinio quæ per illud introducta est, vt pluribus ostendemus infra Cap. 10. & 12. Sanè facillimum fuerit liquidò demonstrare in proposito, non obstante mentali restrictione, verè subesse & remanere propriè dictum mendacium: mendacium enim est, vt dicemus Capite sexto, cùm falsum à sciente dicitur. Duo ergo requirit mendacium vocale: vt falsum sit quod voce significatur, & vt hoc ipsum esse falsum sciat qui dicit. Posterius in proposito non deest, quia sciens esse falsum, vult hoc emendare restrictione mentali. Prius autem ostendo, Primò ad hominem, quia hoc fatetur, qui ad mentalem restrictionem recurrit. Secundò directè ostendo non solùm esse, sed manere falsum etiam post restrictionem.

*Angelus &
Siluester
decepti per
c. vtilem.*

*Ostenditur
restringen-
tes mente
esse menda-
ces.*

ctio-

*Per restricti-
onem
mentalem
nihil muta-
tur in re
vel in voce.*

tionem mentalem, aliquot rationibus.
Prima, per restrictionem tuam mentalem
neque res significata mutatur, neque vox
significans: si ergo vocis significatio ante
illam restrictionem sola mente factam fuit
falsa, ut fateris; etiam post ipsam erit falsa:
falsum enim est, quando quod est non esse,
vel quod non est esse significatur. Fatentur
hoc ita esse: sed dicunt, eo ipso quo mente
restrictionem addunt, se voci suæ imponere
nouam significationem, qua iam incipiat
significare restrictè, secundùm mentem sic
restrictam. Perbella res sanè, quasi priuati
cuiusque sit quotidie vocibus quæ publici
vsum sunt novas imponere pro arbitratu suo
significationes. Voces imposuit rebus pri-
mus homo, imposuerunt & alij primi; po-
tuerunt hoc aliqui certi in Rep. hoc denique
consuetudo populorum potuit. At demus
faciamusque tuum esse exemplo Hermoge-
nis, (qui, ut testatur Plato in Cratylo, pu-
tabat pro cuiusque arbitrio nomina impo-
ni posse) omnibus omnino rebus nomen-
claturam indere nouam; cui institues no-
uam istam nominum significationem, si eam
nemini indices? an tibi soli? Fateri ergo te
tibi verum loqui, cum proximo splendide
mentiaris. Sanè, sicuti dum mente sola lo-
queris, nihil proximo significas; ita dum par-
tim

tim lingua, partim mente loqueris in proposito, nihil nisi falsum proximo significas.

Secunda ratio: Si eadem scribas quæ loqueris, nemo dixerit te vera scripsisse, eò quòd mente restrinxeris scriptum tuum ad sensum verum, cùm sine mentali illo additamento in se esset falsum. Itaque frustrà conaris per supplementum mentis iam prejudicatæ, vocis tuæ corrigere falsitatem: quid enim refert an scripto vox ligata sit, an liberi sono in aërem auolet, cùm sit alligata semper suæ significationi, quam non magis ipse mutare potuisti, quàm nouo à te excogitato scribere alphabeto? Hæc licentia etiam calumniam struere poterit omni sacræ & diuinitus inspiratæ Scripturæ, cùm citra mendacium potuerit Hagiographus falsa scribere, mente sola ea corrigendo suis supplementis. atque ita vacillabit in omnibus eius auctoritas, cùm semper suspicari aut dubitare poteris, anne hîc eo artificio sit vsus, qui semper eo uti potuit. Fateor tamen, in reuelatione mysteriorum fidei Deum non tantum restrictione purè mentali non uti nec uti posse, at ne quidem ambiguis locutionibus, quæ non habent sensum obuium, ne moraliter sit causa erroris. In Scripturis tamen interdum utitur sermone ambiguo & tropico, ne vilescât, & segnes simus in earum

scru-

Scriptum non verificatur restrictione mentali scribentis.

Hagiographus mentaliter non potest restringere.

Deus in mysterijs fidei non utitur amphibologis, licet in alijs utatur.

scrutinio; & ne infideles rideant cognita, aut ne futura quædam certò sciamus, quæ sic præsciri non expedit. In mysterio ergo Eucharistiæ, quatenus fidem concernit, proprio & obuiò sensu Christus vsus est, quando dixit, *Hoc est corpus meum*, quando autem dixit, *Eliam iam venisse*, translato sermone est vsus. Eòdem pænè recidit, quòd dicunt esse suam orationem mixtam ex vocali & mentali, & esse veram vt sic mixta est. Dicam enim parum id referre, quando proximo, cui veritatem debes, tantum ea parte orationem tuam manifestas qua falsa est. Verùm de hac mixtione iterùm dicemus sequenti Capite.

C A P V T V.

Quenam certa sint in hac materia; & de quibus inquirendum super sit.

RECTE Serm. decimoseptimo in Cant. dicit D. Bernardus: *Distinguendum sanè inter manifesta & dubia, nec illa scilicet adduci in dubium, nec ista temerè affirmari.*

Certum I. In primis satis certum est, licere non ad mentem alterius formare sermonem, sed ad propriam mentem; siue sermo sit ambiguus per se, siue restrictione mentis occultè limitatus, sic tamen vt ex circumstantijs quod
occul-

occultum est aliquo modo in verbis effe-
 ratur, quando alioqui iniuriam grauem pa-
 tereris; & id non licere, quando per illud in-
 iuriam proximo faceres. Quàm graue verò
 debeat esse tuū damnum quod per iniuriam
 alterius incurreres, antequam liceat hoc ar-
 tificio vti, non ita potest ad amissum defini-
 ri, sed in sequentibus id dicemus, ex æquo &
 bono rem æstimantes. Certum etiam est, *Certū II.*
 numquam licere mentiri, quod sequenti Ca-
 piti demonstrandum reseruamus. An verò
 mentiatur is cuius dictum falsum esset, nisi *Opinabile.*
 mentali restrictione limitaretur, quando sic
 limitat, inferiùs examinabimus, & iam in
 superioribus sententiam nostram diximus.
 Certum etiam est, interdum licere, quando *Certū III.*
 cum restrictione mentali loquimur, appone-
 re iuramentum: an verò id semper liceat
 quando licet vti restrictione mentali, in se-
 quentibus dicemus; vbi etiam videbimus, *Opinabile.*
 an legitimè à Iudice interrogatus de crimine
 suo, possit restrictione fallere sollicitudinem
 quærentis. Certum etiam est, Scripturam *Certū IV.*
 sacram, Philosophos, & omnes benè sen-
 tientes commendare fidelitatem, veritatem
 & simplicitatem, vituperare astutos, calli-
 dos, veteratores, duplices corde, bilingues.
 Gen. 20. & 25. Iob 1. & 8. Prouerb. 3. & 28.
 Philip. 2. Ephes. 6. Cyprianus de Vnitate
 C Eccle-

Ecclesiæ, initio : Cicero lib. 1. de Officijs.

Certum V. Certum est prætereà, non licere tibi proximo loqui sequiori sensu, quando in simili casu meritò nolles ita tecum agi, vt colligitur ex Apostolo, ad Ephes. 4. de quo loco infra dicemus Cap. 9.

Inquirendum.

Inquisitione autem indiget, quando licet vti restrictione mentali, quomodo tunc magis effugias mendacium, quàm quando ea vti non potes. At forsàn ita hîc considerare debemus, non esse quidem vîquam licitum vti restrictione, quæ inuoluat mendacium in dicto exteriori. Neque tamen semper licere ea restrictione vti, quando mendacium non inuoluit; sicut etiam non semper licitum est, translati sermonis obscuritate sermonem inuoluere: requirunt enim Auctores, qui ea restrictione vti concedunt, vt subsit legitima ratio, vtpote iusta necessitas aut utilitas. Nec desunt qui obseruent contra virtutem veritatis peccari, non tantùm mendacio, sed etiam inordinata occultatione veritatis: quæ certè reperitur in eo qui cum proximi damno celat veritatem, nec sibi nec alteri commodans, sed proximo solùm incommodans. Falsum dicere non licet vîquam, verum reticere & occultare licet aliquando. Qui mentali restrictione vtitur, non tantùm cauere debet ne mentiarur, quod

Restrictio mentalis non est semper licita quando fieret sine mendacio.

Etiam celando veritatem peccatur contra veritatis virtutem.

quod numquam licere mox ostendemus, sed etiam ne veritatem occultet, quando eam effari & proferre tenetur.

Præcipua verò controuersia est, Utrum, sicuti falsitatem dictionis emendamus & omnino tollimus, addendo verbo restrictionem, qua apposita iam verum sit quod falsum erat, ita etiam eundem hunc effectum consequamur, quando interitus sola mentis cogitatione ac operatione addimus eiusmodi restrictionem, ita vt mixta oratio ex vocali & mentali iam sit vera, quæ simplex vocalis erat falsa.

C A P V T V I.

Mendacium numquam licere.

MENDACIUM est, cùm falsum ab sciente dicitur. Numquam hoc licere, adeò euidens est, vt meritò censeatur id esse inter illas conclusiones legis naturæ ita ex primis principijs claras, vt earum diu non possit esse ignorantia inuincibilis, vt diximus 1. 2. quæst. 6. artic. 8. Augustinus acutè probat, mendacium non licere, hoc argumento: Si doctrina, quæ docet licere mendacium, est falsa, non licet mentiri: si vera, falsitas & mendacium oritur ex veritate, contra sententiam Ioannis, *Omne mendacium non*

*Mendacij
definitio ex
August.
q. 68. in
Leuit.*

est ex veritate, & patrocigaretur veritas mendacio. Verba eius contra mendacium cap. 15. ita habent: *Ea quæ contra legem Dei fiunt, iusta esse non possunt. Dicitur est autem Deo, Lex tua veritas. Ac per hoc quod est contra veritatem, iustum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse mendacium omne? nullum ergo iustum potest esse mendacium. Item, cui non clareat ex veritate esse omne quod iustum est? Clamat autem Ioannes: Omne mendacium non est ex veritate. Omne ergo mendacium non est iustum. Sanè Scripturæ sacræ passim id docent, Psal. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Vbi Augustinus lib. de Mendacio cap. 6. indicatum obseruat, Deum non tantum odisse eos qui loquuntur mendacium, sed ita odisse, ut eos omnes perdat. Cui conforme est illud Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* & illud Eccli. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium; a fides enim illius non est bona.* Esse etiam omne mendacium contra illud Decalogi quo vetamur dicere falsum testimonium, idem Augustinus ibidem cap. 5. probat, eò quòd quisquis aliquid enuntiat, testimonium perhibeat animo suo: testatur enim non solum illud esse verum, sed se illud in animo sentire esse verum, imò propriè mendacium in posteriori*

Omne mendacium est falsum testimonium.

riori spectatur, vt docet idem Augustinus in Enchiridio c. 22. Si enim verum nō sit quod testatur esse verum suo eloquio, falsum quidem dicet, sed nō mentietur, si verum id esse in animo suo senserit. Ad cuius rei illustrationem idem D. Augustinus adhibet illud Apostoli 1. Cor. 15. *Inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum quod suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt.* Cū enim in Decalogo, prohibitione falsi testimonij, tantū videatur prohiberi mendacium in grauamen proximi; ex verbis Pauli nihilominus vult omne mendacium esse falsum testimonium, cū etiam falsum testimonium esse dicatur aduersus Deum, quando dicitur in laudem Dei. Post commemorata enim Apostoli verba subiungit: *Ita enim ostendit falsum testimonium esse mendacium, etiamsi in cuiusquam falsa laude dicatur.* Qui ergo proximo loquitur, duo curare debet, vt veritatē loquatur, & vt mentis suæ indicium loquatur. Si proximo non debeat sermonem, veritati tamen debet verum sermonem, & menti suæ verum testimonium. D. Thomas, & ante ipsum Philosophus, ideò dixerunt mendacium esse per se prauū & fugiendum, quòd innaturale sit & deforme ac indebitum, aliquid indicari voce, quod non ge-

ras in mente; cùm vox non sit aliud quàm mens significata mentisque nuntia; ideoque mendacij deformitatem non cessare, etiamsi proximo non fuerit noxium, aut etiamsi per illud proximus non decipiatur, vtrumque enim Dominus coniungit Leuitici 19. *Non mentiemini: nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Multum illustrent mendacij naturam verba Bernardi Serm. 17 in Cant. *Est qui dubiè profert mendacium, nec mentitur: & est qui veritatem quam nescit affirmat, & mentitur. Nam & ille non quidem quod non est esse, sed se quod credit credere dicit, & verum dicit, et si hoc verum non sit quod credit; & is cùm se certum vnde non est certus dicit, verum non dicit, etiamsi verum sit de quo asserit.* Ex qua doctrina colligere licet, esse quoddam mendacium formale tantùm, quando putans dicere falsum dicit verum; quoddam materiale tantùm, quando putans dicere verum dicit falsum; & denique quoddam simul materiale & formale, quando falsum à sciente dicitur.

*Simulatio
est menda-
cium facti.*

Similem ferè cum mendacio rationem habet simulatio, quando strictè accipitur vt contra dissimulationem distinguitur. Quare alibi reprehendimus cum Augustino contra Hieronymum simulationem Iehu, quam tamen video approbasse Gasparem Sanctium in

in cap. 10. lib. 1. Regum, sub finem. Est quidem verum, Gratianum verba Hieronymi retulisse in Decretum 22. q. 2. vbi ex Commentario eius in Epistolam ad Galatas c. 2. ita habet capit. *Vtilem simulationem & in tempore assumendam, Iehu Regis Israel nos doceat exemplum, qui cum non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi se sinxisset velle idolum colere, dixit: Congregate mihi omnes sacerdotes Baal: si enim rex Achab seruiuit Baal in paucis, ego seruiam ei in multis.* Verum omnino sciendum, dicta Patrum, præcipuè illa in quibus inter se dissident, non esse canonizata, etiam si reperta fuerint in Decreto Gratiani. Dicit Cardinalis Tuschus verbo Decretum canonicum, per Gregorium XIII. Decretum fuisse approbatum, & contenta in eo esse leges Canonicas effectas: sed veriùs alij dicunt, Decretum non esse eiusdem auctoritatis cum Decretalibus; neque tam præbere auctoritatem dictis Patrum in eo contentis, quàm ab ipsis accipere. Consulatur cap. 1. dist. 20. Sanè Gregorij Breue solùm vult, quòd sic repurgatum pro Iure Canonico habeatur, non dicens interim quantæ auctoritatis sint vel verba Gratiani, vel Paleæ, vel Patrum in Decreto citatorum. Nolo tamen nunc curiosiùs disputare, an verba citata D. Hieronymi non

Decreti
Gratiani
auctoritas.

40 IO. MALDERI TRACTATVS)
possint sano sensu accipi: D. Thomas enim
2. 2. q. 111. a. 1. ad 2. sano sensu accipit,
quamuis fateatur, simulationem Iehu non
esse necessariò excusandam.

*Simulare
quoddam
licitum.*

Est quoddam simulare licitum, quod po-
tius in dissimulationem resoluitur, quamuis
tria distingui possint, simulare falsum, dissi-
mulare verum, & præ se ferre diuersum quid
ab eo quod res est ex iusta aliqua causa. Pri-
mum apud D. Thomam est illicitum, se-
cundum licitum: vidè 2. 2. dicta q. 111. vbi
ex professo docet, simulare esse illicitum, &
ad 4. addit, dissimulare esse licitum. Tertium
verò quod affine est secundo, etiam esse lici-
tum, probatur Scripturis: quia in ipsis narra-
tur ipse Deus præ se tulisse aliud quàm reue-
rà volebat, vtpote cum Moyfi dicit Exo-
di 32. *Dimitte me vt irascatur furor meus con-
tra eos, & deleam eos.* quomodo Æschylus
rectè dixisse intelligi poterit, *A fraude iusta
ne Deus quidem abstinet.* & Labeo l. 1. ff. De
dolo malo, posse sine dolo malo aliud agi,
aliud simulari. Salomonis etiam prudentia
laudatur 3. Reg. 3. qui bono dolo meretri-
eum duarum iurgia diremit, ita sese compo-
nens, quasi viuum eis infantem vellet diui-
dere, cum solùm ad veræ matris indaginem
id præ se ferret; & Christus Dominus Luc.
ultimo finxit se longius ire: & Ios. cap. 8.
fugam

*Dissimula-
re est lici-
tum.*

fugam & metum, docente eos Iosue, Israelitæ simularunt. Simile factum narratur Iudicū 20. vbi Israelitæ contra Gabaa pugnantes fugam arte simulant: quæ tamen Dei ductu acta sunt. Prouerb. 24. *Cum dispositione initur bellum.* indicatur consilio prudentum non minùs bellum iuuari quàm fortium manu; arte enim periti multa in hostem posunt. Hinc factum est vt bellica stratagemata quasi Iuris gentium habita sint, & licita apud omnes qui bellum licitum esse senserunt. De hoc argumento nonnulla diximus 2. 2. q. 40. a. 3. Videri potest c. Dominus noster, 23. q. 2. Consuli potest etiam Scotus in 3. dist. 28. vbi quinque ponit genera aut modos simulationis. Primum & secundum semper malum, tertium & quintum semper bonum, & quartum interdum bonum, interdum malum. Primus modus est, quando quis exterius per probabilia signa ostendit se habere bonum quod non habet. Secundus, quando per signa opposita ostendit se non habere malum quod habet. Tertius est, quando abstinet à signis quæ ostenderent eum habere malum quod habet. Quartus, quando qui vult videri aliquid indifferens in moribus habere, facit exterius eius rei proprium signum, quasi habeat quod non habet. Quintus, quando id facit improprio

Stratagemata in bello licita.

Quinque modi simulationis.

1

2

3

4

5

C 5 signo,

42 IO. MALDERI TRACTATUS
signo, quod tamen nouit, ita à spectantibus
esse accipiendum.

Quæres, an possit quis mentiri sibi? Re-
spondeo, Psal. 26. dicitur, *Mentita est ini-
quitas sibi.* verùm non ibi significatur quòd
propriè mendacium sit hominis ad se ipsum,
sed solùm quòd apud se impij forment sibi
conscientiam erroneam, quòd iustè perse-
quantur Sanctos; aut quòd in suum men-
tiantur exitium, vt dicit D. Ambrosius in
Psal. 35. Nemo ergo sibi mentitur: quod
enim contra mentem, sciens non ita es-
se vt esse dicit, loquitur sibi, falsum qui-
dem est, sed non fallax, vbi idem est dicens
& audiens. Itaque in definitione mendacij,
dici, ad alterum oportebit intelligere. Quan-
do enim sibi loquitur quis quòd falsum est,
sciens esse falsum, videtur potiùs materiali-
ter id dicere; materialiter autem dicere fal-
sum; non est mentiri, vt dicemus Cap. vlt.
Sectione tertia.

Illustrari potest res ista ex opposita men-
dacio veritate: ideò enim veritas ad iusti-
tiam pertinet, quòd sit ad alterum, & quòd
æqualitatem ponat inter rem quæ voce si-
gnificatur, & vocem significantem. Cùm au-
tem virtus est ad alterum, etiam opposita ei
vitia & peccata oportet esse ad alterum, siue
per excessum siue per defectù. Accedit quòd
men-

*Nemo sibi
mentitur.*

mendacium consistat in inuersa traiectione conceptuum priorum vnus hominis ad alterum; quæ traiectione non habet locum, quando sibi homo loquitur.

Quæres iterum, an Deo quis mentiri possit. Videtur enim ex Actis Apostolorum cap. 5. quod possit, quia dicit Petrus Ananiæ: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Psal. 80. *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Respondeo, Est modus quo homo Deo mentitur, quando non seruat quod promisit; quo modo licebit intelligere locum Psalmi. Est modus quo non mentitur Deo, quia cum Deus intueatur cor, non potest ei verbis imponi. Itaque qui nouit Deo notam esse mentem suam, non potest moraliter loquendo Deo velle mentiri; sed dicet potius: Deus, tu omnia nosti, scis quod hoc ita sit. Est tamen modus quo etiam assertiuè homo Deo mentitur, quando mentitur hominibus in quibus Deus est, & qui per Dei donum cogitationes hominis noscunt. Hoc indicasse videtur Apostolus 1. Cor. 14. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod verè Deus in vobis sit.* Vtroque autem modo Ananias mentitus est Deo, & quia habebat votum

Deo non
proprie ho-
mo menti-
tur.

votum paupertatis, & quia temerè experimentum faciebat Dei qui in Petro loquebatur. S. Augustinus Tract. 26. in Ioannem dicit, eos qui recitando Orationem Dominicam dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, si non dimittant, Deo mentiri. *Vide, inquit, si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, & ei mentiris quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Nouit ille quid agas. intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus iudicat, intus aut damnat aut coronat.* Sed aduerto, talem qui Deo sic mentitur, quandoquidem, vt supponitur, fidelis sit fide, saltem informi, nõ tam aliud habere scienter in ore atque aliud in corde, quàm in ipso corde suo falli, dum se fortè putat satis dimittere, vbi in dimissione deficit. In fide enim potius quàm in dimissione facienda debitoribus, peccaret, si Deum se fallere posse putaret, aut fallere conaretur; quem se fallere non posse, ex fide nosse debet. Mentitur ergo solum, quia de corde suo non verè remittit, quod se dimittere ore dicit, formans interim corde sibi conscientiam erroneam, qua putet se sic sufficienter remittere. Itaque potius deficiendo in remissione ex corde, quàm in mentali locutione in ordine ad externum sermonem is mentitur. Ideò ex corde debere

bere fieri remissionem, monuit Dominus Matth. 18. *Sic & Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Sanè qui scit se non remittere fratri offensam, & soli Deo dicit externa voce se dimittere, mentitur. sed quomodo quòve vsu id faciet, nisi intentione fallendi? quomodo autem eum fallere intendet, quem falli non posse certissimò nouerit?

Quæri & illud hîc potest, Cùm definitum sit mendacium, falsum dictum à sciente, an mentiatur qui non scit verum esse quod dicit; verax enim non est, quia falsitatem à suo dicto non satis excludit, qui lingua præuenit veritatis dicendæ scientiam. Respondeo, talem peccare contra obligationem virtutis veritatis; sicuti contra iustitiam peccat, qui absunit rem de qua dubitat an sua sit an aliena. Et quia periculo falsi scienter se exponit, reduci potest eius peccatum ad mendacium: & hætenus quidem mentitur, quatenus actu exercito dicit se ita sentire vt loquitur; hætenus verò non propriè mentitur, quatenus non iudicat esse falsum quod enuntiat. Bernardus tamen suprâ citatus propter priorem rationem, qua dicimus talem mentiri, etiam tunc eum mentiri vult, quando quasi sciens, dicit esse verum quod
verum

46 IO. MALDERI TRACTATUS
verum quidem erat, sed verum esse à mente
nesciebatur.

*Extra con-
tractum li-
cere hostem
mendacio
fallere, ma-
lè docuit
Albericus
Gentilis.
Argumēta
Gentilis.*

1
2

3

Per mendacium siue facti siue verbi extra
contractum licere hosti imponere, non au-
tem in contractu, docuit Albericus Gentilis
lib. 2. de Bello, cap. 5. & probat, Primò, Om-
nes, inquit, Philosophi, vt Plato, Xenophon,
Lucianus, Iurisperiti, Medici, Rhetores &
Theologi D. Augustino vetustiores, vt ipse
testatur q. 68. in Leuit. censuerunt aliquan-
do mendacium admitti posse. Secundò, Li-
cet insidiosis factis aliquando hostem deci-
pere, ergo & mendacijs; quia simulatio ni-
hilest aliud quàm mendacium in rebus, vt
docet D. Thomas 2. 2. q. III. a. 1. Tertiò,
congerit quædam exempla eorum qui sine
reprehensione videntur in Scriptura referri
mentiti; vt Eliseus, 4. Reg. 6. & Rahab,
Iosue 2.

*Responsio
ad 1.*

Respondeo, hunc Gentilem non esse ho-
minem Ecclesiæ. Ad Primum dico, Augusti-
num non voluisse, quòd pænè omnes sence-
rint, mendacium omnino nudè acceptum
aliquando non esse peccatum, sed quòd sen-
serint, per modum compensationis, quando
nemo læditur, pro salute prolatum menda-
cium à peccato excusari. Vide ipsum libro
Contra mendacium, cap. 10. Dico Secundò,
parum referre quid plerique sencerint, cum
Scri-

Scripturæ textus apertè dicat, *Non mentie-* Leuit. 19.
mini. neque est spectandum, quando quæri-
 tur, an mendacium sit peccatum, an sit in-
 iustum accessoria iniustitia, cum sit lege pro-
 hibitum quia iniustum erat, non autem fa-
 ctum sit iniustum quia prohibitum.

Ad Secundum respondeo, Quamuis Ad 2.
 simulatio propriè dicta sit mendacium fa-
 cti, facta tamen habere liberiore significacionem;
 adè vt non tenearis hosti, cum quo
 bellum geris, ad eam significacionem per fa-
 cta quam vides ipsum concepturum, sed
 possis aliud præ te ferre iusto dolo, vt suprà
 & citato loco in 2. 2. diximus. Factis similia
 ferè redduntur verba deprecatoria, aut simi-
 lia quæ non significant verum aut falsum,
 quamuis hoc non ita vsu veniat, vt aliquid
 petatur sine assertione alicuius per modum
 causæ inductiuæ, aut aliquo modo simili.

Ad Tertium, fatetur Augustinus, quæ pro Ad 3.
 mendacio in casu aliquo iustificando dicun-
 tur, facilè posse dilui, si sola præcepta intue-
 remur, non exempla. Neque enim ita di-
 ctum est, *Non mentiemini*; sicuti dictum est,
Non occides. neque enim aliquando Lex po-
 test dici mentiri, cum tamen rectè dicatur
 Lex eum occidere, qui iustè occiditur.
 Quod attinet ad exempla (de alijs alibi) di-
 cimus Eliseum 4. Reg. 6. quando Syris dixit,
Non

Non est hac via, neque ista ciuitas, sequimini me, & ostendā vobis virum quem queritis, non esse mentitum: rectè enim cum Carthusiano dicemus, sensum esse, Non est hac via qua itur ad urbem, in qua Eliseum inuenietis, neque ista est ciuitas in qua commoratur. Ciuitas enim quam in sua ἀγορᾷ (qua aliqua videntur, alia non videntur) videbant, erat Dothaim, & Eliseus habitabat in Samaria, vt etiam puella erat testata superiori capite. Ad locum de Rahab oppositum. Non fuit ea laudata in eo quòd sit mentita, sicuti neque in eo quòd fuerit meretrix; sed in eo quòd nuntios populi Dei receperit, absconderit, & cautè dimittendo saluauerit. Vide Iosue cap. 6. Hebr. 11. & Iac. 2. Augustinus etiam dicta q. 68. in Leuiticum eodem modo de Rahab sentit, & addit propter liberationem nuntiorum veniam datam esse mendacio Rahab, non quòd non fuerit mendacium ei peccatum, alioqui venia opus non habuisset; sed quòd propter officium præstitum Hebræis, sit ipsi remissum. Monet tamen, non quæuis peccata, si fiant propter liberationes hominum, ita veniam obtinere.

Possent etiam nonnulla exempla ex ijs quæ Cap. 2. attigimus, nobis pro mendacio obijci, vtpote quòd Abraham Saram dixerit esse sororem suam, de quo dicit
Ter-

*Eliseus &
Rahab an
sint men-
titi.*

Tertullianus lib. de Cultu feminarum, cap. 2.
 quòd Abraham iniuriam spectatorum in
 vxoris suæ specie timens, Saram sororem
 suam esse mentitus sit. Respondeo: Verè di-
 xit sororem, vt ipse explicat cap. 20. *Aliàs* ^{Abraham} ^{à mendacio}
autem & verè soror mea est; filia patris mei, & ^{excusatur.}
non filia matris meæ.

Dices, Tempore Abrahæ non licebat fi-
 liam patris sui ducere in vxorem, vt docet
 Augustinus lib. 22. Contra Faustum, cap. 35.
 Respondeo: Sara non erat filia Thare,
 sed filia Aran, qui erat frater Abrahæ, non
 tamen vterinus; erat enim filius Thare ex
 alia vxore: vocabant autem Hebræi tunc
 temporis etiam neptes ex fratre sorores suas,
 sicuti nostrates auos vocant patres. Imò mo-
 rem istum esse Scripture, vt auos & deinceps
 patres appellet, testatur Hieron. in Danie-
 lem, citatus c. Nam & Rex, de Verborum
 significatione. Non est ergo mentitus, sed ce-
 lauit veritatem sibi nocituram. Mentiri au-
 tem, quando dicit Abrahamum hîc menti-
 tum, Tertullianus accepit pro fingere; quo-
 modo & mentito habitu dicitur quis ince-
 dere, quando simulato incedit & ficto.

CAPVT VII.

Quæ sit virtus Veracitatis.

Quid virtus Veracitatis.

Divvs Thomas 2. 2. q. 109. tractat de hac virtute, & secundum eius exquisitam doctrinam, Veritas siue Veracitas est virtus moralis qua verum dicimus, neque plus neque minus quam rei veritas habet; idque quando oportet, & secundum quod oportet: item, qua in nobis signa & signata debite proportionantur & adæquantur: item, qua ea quæ circa nos sunt, congruo modo manifestamus alteri, vt societas humana feruetur. Nota ex eodem D. Thoma q. 110. a. 1. ibidem, falsum enuntiare, esse falsitatem materialiter; velle falsum enuntiare, esse falsitatem formaliter; & velle fallere falsum enuntiando, esse falsitatem effectiuè, siue falsitatis effectum. In voluntate falsum enuntiandi, proprie situm est mendacium. Enuntiat autem sufficienter, qui etiam nutibus enuntiat aut alio facto. Quare etiam simulatio est contra hanc virtutem, vt docet idem D. Thomas ibidem q. 111. Quia tamen in signis principalem locum obtinent verba, maximè in eis veritas spectanda est. *Sunt enim verba (inquit Augustinus Enchiridij c. 22.) propterea instituta, non per quæ se inuicem homines*

Simulatio est contra virtutem Veracitatis.

Verborum finis.

mines fallant; sed per qua in alterius quisque
notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur
uti ad fallaciam, non ad quod instituta
sunt, peccatum est. Rectè dixit D. Bernardus
in Sententijs suis: Chaos magnum inter
nos firmatum est, nisi interueniente quasi in-
strumento verborum fiat ad inuicem transitus
quidam cordium in communicatione cogitatio-
num. Hac necessitate inuenta sunt verba.

Chaos istud non traicitur, si non idem sit in
ore quod in corde. Consistit virtus ista veri-
tatis in medio inter plus & minus, sicut alia
virtutes morales. Quod duobus modis ex-
plicatur: vno, si dicas, hominem per hanc
virtutem neque maiora neque minora de se
dicere, quàm sint in se, aut esse cognoscantur
ab ipso: altero, vt per excessum dicatur con-
tra veritatem peccare, qui falsa dicit per de-
fectum, qui verum quando oporteret effere
subticit. Albertus Magnus in libello de
Virtutibus, c. 18. dicit veritatem iustam esse,
quando verè concordant mens & lingua &
opera. Videant itaque, quando lingua men-
ti non consonat, ne & opera putentur ipso-
rum dissonare à verbis; vt similes fiant illis,
quos Dominus reprehendit quòd dicant &
non faciant.

Veracitas
medium.

CAPVT VIII.

An virtus Veracitatis obliget loquentem tantum ad conformandum verba suam menti propria; an verò etiam ad conformandum menti ipsius cui fit sermo.

*Non solum
mentiando,
sed etiam
verum te-
gendo, con-
tra virtu-
tem Vera-
citatatis pec-
catur.*

1

2

3

SICVTI mentitur qui contra mentem propriam loquitur; ita qui non loquitur ad mentem eius cui loquitur, tunc in primis peccat, quando ius proximi lædit, quod forte habet vt ei secundum mentem suam verbale responsum detur, hoc est, eo sensu verba formentur quo ipse ea scitur accepturus. Peccaret etiam in leges societatis humanæ, qui passim aliter verba sua acciperet, quam nouit communiter ea solere intelligi: item quicumque verbis suis etiam sine mendacio conceptis, mendacij effectum intendit, hoc est, fallere proximum. Videtur ergo virtus veracitatis obligare ad simpliciter verba formanda secundum sanum sensum audientium, quando audientes fallerentur iniuste, si alio sensu formarentur. Continetur id in doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. quæ ita habet: *Dicendum quòd quando non est eadem iurantis intentio & eius cui iurat, si hoc proueniat ex dolo iurantis, debet iuramentum ser-*

seruari secundum sanum intellectum eius cui iuramentum praestatur. Vnde Isidorus dicit, quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Et quod hoc intelligatur de dolo iuramento, patet per id quod subditur: Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo caput. Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem iurantis. Vnde Gregorius dicit 27. *Moralium*: *Humanae aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant; diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* In his aduerte, quamuis sermo sit de iuramento, iudicari tamen etiam in nostro proposito rem vt diximus se habere: quamuis enim hic cesset obligatio iuramenti, tamen non cessat obligatio proximum non capiendi dolo. Vtraque Isidorus coniunxit. Cum itaque per Veracitatis virtutem teneamur signa proportionata signatis proferre, non magis possumus proximum circumuenire verbis non exprimentibus vlllo modo secundum verum sensum illud quod cogitamus, quam eundem possumus aliquo facto externo decipere, praecipue cum praeter veracitatis virtutem, saepe nos obliget in hoc praecipuum iustitiae vel charitatis. Est itaque proprie dictum mendacium, proximum

*Restrictio-
ne mentali
melius est
silentium.*

mentali restrictione circumuenire, quando aliud non accedit. Quare vir prudens potius illo tempore tacebit, quando aduertet se non posse simplicibus verbis veritatem eloqui sine aliquo incommodo audientis, aut suo, aut aliorum. Si tamen silentij sui maiora futura sint incommoda, quàm non omnino simplicis, veri tamen, puta æquiuatione aut amphibologia inuoluti sermonis, vtatur æquiuatione nemini noxia, & salua veritate: abstineat autem semper à mendacio etiam mentis restrictione palliato, quia natura sua & semper peccatum est. Itaque re benè considerata, per solam restrictionem mentalem numquam licet euadere: per æquiuationes autem, vel per restrictiones mentis sic circumstantionatas, vt legitimum vsum æquè ac ipsæ æquiuationes habere possint, vtpote in quibus mens solùm se restringit ad sensum qui exterius aliquo modo significatus est, vt euadere liceat, rariùs euenire existimo quàm vulgò putetur. Frequentiùs solo silentio euitantur tutiùs, non tantùm incommoda quæ aperto sermone prodita veritas adferret; sed etiam illa quæ periculosum verborum artificium amphibologijs aut distortæ mentis restrictionibus oneratum parere posset. Qui silet, proximum in errorem non ducit: qui verò aliter quàm

quàm à proximo fit intelligendus loquitur, erroris in mente eius causa est. quod per se ita inordinatum est, vt non, nisi certis circumstantijs vestiatur, excusabile fit. Ideoque Deus erroris in mente hominis non est auctor, etiamsi merè sit speculatiuus, qualis est in rebus Mathematicis, vt diximus 1. 2. q. 79. a. 3. & 2. 2. q. 1. a. 3. dub. 1. Attamen etiamsi numquam liceat errorem proximi vltimò intendere, licet per nostram actionem aliquid aliud quod bonum sit intèdere, quamuis præuideamus illud bonum non secuturum, nisi interueniente errore proximi, quem ex nostra actione concipiet. Virtus ergo veracitatis prohibet, restrictionis mentalis malagmate corrigi falsitatem enuntiatam, nullo tali exterius significato, quale per mentem restringentem subintelligitur. Quid enim prodest te tibi veraciter loqui, quando oratione mixta ex cogitatione & eloquio, veram propositionem tibi effers, quam mutilas proximo, sic vt non nisi falsum efferas? Hoc non est loqui veritatem cum proximo, sed mentiri, recocto in mente mendacio. Mentitur qui dicit se non vidisse cum viderit. Si recognoscens hoc mendacium dicat apud se, *Vidi, sed non Roma*, cum Capuę viderit; quid aliud agit, quàm quòd mendacium suum mente confirmet, dicendo in mente,

Vidi, cū effatus sit proximo se non vidisse. Addendo, *sed non Roma*, non corrigit mendacium; quia si corrigeret, sibi tantū corrigeret: sibi autem non corrigit, quia sibi, ut suprà Cap. 6. diximus, nemo propriè mentitur. Remanet ergo incorrectum, & eiusmodi mentalis restrictio non restringit sermonē externum, sed solū expressa iam circumstantia format conscientiam, contra quam mentiens dixit proximo, *Non vidi*. Aduertere etiam hīc cōuenit, quòd simplicitati clarissimè repugnet sermo iste mixtus ex mentali & verbali exteriori: simplicitati enim, sinceritati, adeoque veritati repugnat ea mixtio, quæ non aduertitur, nec aduerti potest à proximo, qui se puram mentem tuam haurire putat. Hæc mixtio fermentum est, quod Apostolus sinceritatis & veritatis azymo opponit. Hanc duplicitem benè correxit Iacobus cap. 3. quando dixit: *Emundate manus, peccatores, & purificate corda vestra duplices animo*. quando enim proximi menti offundūt tenebras, propriam suam maculant. Hanc duplicitatē Sapiens detestatur quādo dicit Prou. 13. *Os bilingue detestor*. hoc est, quod aliud loquitur quā cor cogitet. item Ecclesiasticus c. 2. *Vae duplici corde & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.*

Sermo
mixtus
inutilis.

enim veritas obliget ad vitandum omne mendacium, & ne quid falsi scienter dicatur, non obligat tamen ad omne verum semper dicendum.

Restat quærere, an ad aliquid dicendum inclinēt, cū non obliget. Videtur enim dari non posse casus, vbi non teneatis ita simpliciter loqui, & tamen consilij diuini sit ita loqui; quia semper obligamur simpliciter loqui, nisi sit exceptio propter aliquam legitimam causam; tunc autem etiam cessat inclinatio huius virtutis. Respondeo, ita non esse; datur enim casus, vbi possis mentali vti restrictione sine peccato, fortè quia ius habes aliquid tegendi quod proximus interrogat propter aliquod commodum temporale; & ex circumstantijs sermo tuus exterius feruire poterit aliquo modo significando restrictioni quam mente facis; & tamen melius facias non vtendo hoc iure tuo, propter bonum simplicis veritatis. Ideoque videre debent illæ personæ, quæ ad perfectionem Christianæ vitæ aspirant, siue in statu perfectionis exercendæ, siue tantum in statu perfectionis addiscendæ, an non obliuiscantur suæ professionis, quando adeo sunt procliuēs ad mentales restrictiones, vt ijs longè frequentius vtantur quàm alij, qui non ita præ se ferunt sectationem perfectionis. Sanè propter

Datur casus vbi Veritatis virtus inclinēt ad verum dicendum, licet ad hoc non obliget.

Qui sunt in statu perfectionis exercendæ, vel discendæ, alieni sunt à duplicitate mentalis restrictionis.

propter rationem dictam credo longè melius eos facere, qui etiam quando licent, (quod perrarum est) à mentalibus restrictionibus omnino abstinent. Omitto quòd sepè parum in his subtilioribus versatis putabuntur licere, quando reuerà secundum Dei legem non licent. Facile etiam contingit scandalum oriri, quando putatur mentitus, qui dicta sua mentaliter restrinxit. Abstineat ergo timorata anima à talibus propter sincerum simplicitatis affectum, propter studium perfectionis, aut saltem propter periculum peccandi, aut denique ne quem scandalizet, etiam tunc quando veritas sui dicti nititur restrictione; quæ non ita in mente sola latet, quin etiam exterius quodammodò significata sit: nam si nullo modo exterius significata intelligi queat, hæretur in mendacio, vt latius dicemus Capite sequenti. Oportet autem Reges, potentes, diuites, perfectos, magis præ ceteris recedere ab omni specie mendacij. Propterea cap. 25. Ecclesiasticus dicit se odisse *pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum & insensatum.* & cap. 41. *Erubescite à patre & à matre de fornicatione, & à presidente & à potente de mendacio.* item Prouerbiorum cap. 17. *Non decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens.* vbi Lxx. habent, *Non*

Melius est numquam uti restrictione mentali, etiam licita, propter amoris simplicitatis & perfectionis, & periculum peccati & scandali.

Magnos viros magis dedecet duplicitas.

*congruent imprudenti labia fidelia, neque iusto
 labia mendacia. vnde recte dicit Aristoteles
 lib. 4. Ethicorum c. 3. quod vir magnanimus
 vtatur libertate in loquendo & veritate, non
 verò loquatur ad voluntatem aliorum. Valdè
 ergo recedunt ab abundantia illa iustitia Chri-
 stianis omnibus commendata, quorum ser-
 mo exterior ab interiori ita diffidet, vt dum
 loquuntur affirmando, restrictione mentali
 idem negent, parum memores commenda-
 tæ à Domino simplicitatis, quando dixit:
Sit sermo vester, Est, est; Non, non. & eius quod
 Propheta Regius dicit Psal. 5. *Linguis suis
 dolosè agebant: iudica illos Deus.* & eius quod
 Apostolus dicit ad Ephes. cap. 4. *Propter quod
 deponentes mendacium, loquimini veritatem
 vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus
 inuicem membra.* In quem locum D. Chryso-
 stomus: *Quoniam sumus inuicem membra, ne-
 mo decipiat proximum. quod quidem dicit Psal-
 mographus, id sursum & deorsum agitans, La-
 bia dolosa in corde, & in corde locutus est mala.
 Nihil est enim, nihil est quod aequè pariat ini-
 micitias, atque decipi ac falli. Vides quomodo eis
 vbiq; pudorem inijciat per corpus. Ne fallat,
 inquit, oculus pedem, neque pes oculum. Vt, si
 sit fossa profunda, & super terram positus
 arundinibus & terrâ opertis in superficie præ-
 beat oculus opinionem terra solida, an non vte-
 tur**

zur pede, vt sciat num sit inferius vacuum, an remittatur & resistat; num non fallat pes, sed quod est renuntiet? Quid verò, si serpentem viderit oculus aut feram, num fallit pedem, & non statim renuntiat? Ille autem cum ab eo didicerit, non amplius pergit. Quid autem, quando neque oculus neque pes inuenerit quomodo discernat, sed id totum sit odoratus, vt vtrum sit venenum lethale an non, os non fallit odoratus. Quare? Nam seipsum quoque perdit, si fallat: sed dicit quod sibi occurrit. & infra: Si insidietur, non est membrum.

CAPVT X.

Quando teneamur ad mentem eius cui loquimur verba nostra formare, & ipsi etiam eodem modo intelligere; & quando ad illud non teneamur.

SECTIO PRIM A.

VT accuratè de hac re loquamur, obseruandum, Peccari per restrictiones mentales, occultando sensum verborum nostrorum, triplici illo famoso genere peccati, hominis in seipsum, in Deum, & in proximum.

In seipsum homo peccat, quando deordinationem illam in se admittit, vt nõ conformet se exterius verbo interiori, cū natura ad

Quomodo
homo per
restrictio-
nes menta-
les peccet
in seipsum
hoc

hoc dederit homini beneficium sermonis,
vt exteriùs eloquatur quod mente concipit.

*In proxi-
mum.*

At grauiùs peccat in alterum in hoc ge-
nere, & quidem in proximum, quando ab
eo interrogatus, dolo malo in diuersum sen-
sum restringens verba sua, responderet, & pro-
ximum in errorem ducit. Item, quando vl-
trò sese offert tamquam significaturus veri-
tatem ignotam, quam ita suæ mentis recessu
distorquet, vt recta non perueniat ad au-
res audientis. Hic vterque modus, præter de-
formitatem contra veritatem, etiam habet
culpam iniustitiæ, quando fit iniuria proxi-
mo per falsum intellectum ei ingeneratum
compositis ad fraudem verbis: tantoque
gravius peccatum est, quantò grauior iniu-
ria, & quantò grauius proximi damnum.
Ideò rectè Psal. 14. habitaturus in Dei taber-
naculo dicitur, *qui loquitur veritatem in cor-
de suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Ne-
que enim sufficit veritatem in corde loqui
restrictione mentali, quando in lingua do-
lum agis, proximum fallendo dum minus
dicas quàm concipis.

Deum.

In Deum peccatur, quando restrictione
mentali illicita, iuramenta inquinantur; aut
confessio fidei eluditur, quando confessionis
faciendæ præceptum vrget. Est enim, vt
ostendimus quando egimus de Iuramento,
iura-

iuramentum ita fucatum, quasi periurium quoddam exterius, non minùs illicitum quàm idololatria exterior. Restricta etiam per mentem responsio in materia confessionis fidei subinde æquiualeat abnegationi fidei, vt diximus quando de Fide.

Quando autem homo ius habeat restringendi mentem, aut alio sensu loquendi vel respondendi quàm verba eius sint accipienda, quæstio est admodum seriò examinanda. In hoc enim multi falluntur, quòd passim putent se benè officio defungi, quando aliquo mendacium videntur euasisse per amphibologiam aut restrictionem mentalem. Regulæ aliquot obseruandæ, quibus ea praxis contineatur, ne nimiùm laxa sit.

*Quando
liceat am-
biguo vel
mente re-
stricto ser-
mone vsi.*

Prima sit, Non licere vero sensu proximum fraudare, quando vtrò & seriò ei loqueris, nec ab ipso interpellatus, nec vlla pressus necessitate, aut iusta causa es excusatus ad aliter sensum formandum, quàm ipse intelligit. Est enim tunc veniale, si neque proximum lædat, neque Dei honorem grauiùs tangat: mortale autem, si lædat grauius proximum, aut Dei tangat honorem.

*Regula
prima.*

Secunda: Si reus interrogetur de crimine suo capitali iam semiplenè probato, non tenetur secundùm probabilem opinionem fateri veritatem, si non erat deprehensus aut

Secunda.

con-

conuincendus, sed spes sit euadendi; sed poterit vti amphibologia aut restrictione mentali: verè enim quoad hoc non censetur secundum Iuris ordinem perurgeti; ideoque rectè ex circumstantijs censebatur restrictio quam subintelligit (v.g. Non feci, scilicet vt teneat fateri) significata verbis exterioribus; meritò enim intelligitur Iudicis interrogatio secundum Iuris ordinem restricta, vt quando interrogat reum an fecerit, subintelligatur, ad eum modum vt fateri teneatur. Ratio est, quia alioqui esset præceptum excedens hominis potestatem, vtpote pro infirmitate communi quodammodò impossibile, quo præcipitur tale suum crimen prodere, vt ostendimus 2. 2. de Iustitia, Tractatu 6. c. 3. dub. 1. neque enim *peccat quisquam* (inquit Augustinus lib. de Mendacio, cap. 13.) *cùm euitat supplicium, sed cùm facit aliquid dignum supplicio.* Quæres, an liceat Aduocato rei suadere reo, vt praxi iam tradita vutur, totumque neget, quod ad capitale crimen spectans sibi à Iudice legitimo in interrogatorijs proponitur. Respondeo, hinc applicanda esse, quæ diximus 2. 2. supra, dub. 7. Quibus insistendo dicimus, Aduocato istud licere, nisi inhibatum sit à Superiore: esse tamen Aduocatum punibilem in foro externo si hoc suaserit, etiamsi inhibitio specialis

non

non præcesserit: potest etiam puniri per modum coërtionis cuiusdam publicæ, vt iustitiæ cursus non impediatur.

Tertia: Legitimè, hoc est, à competente Iudice, & seruato Iuris ordine interrogatus, tenetur planis verbis fateri veritatem tam reus quàm testis idoneus, nec potest Iudicem aut Superiorem amphibologia aut restrictione mentali illudere.

Quarta: Quando non legitimè, aut non à suo Iudice aut Superiore quis interrogatur, potest se habere in proposito, sicuti se habere potest in colloquio cum priuatis quando ab eis interrogatur; imò hoc ei accedit commodi ab eo qui se, cum non sit Iudex, pro Iudice gerit, quòd possit ei respondere liberiùs æquiucè aut diuersa mente, quàm priuato, qui ad respondendum non ita cogit vt Iudex: cum enim Iudex intelligatur sic interrogare vt tenearis dicere, dat ansam totum negandi, nimirum sic vt tenearis dicere. Qui enim in iudicio interrogatur, An hoc fecerit, ex circumstantia præsumptæ formæ iudicialis, potest hoc sic accipere quasi additum sit, sic vt teneatur dicere. Itaque meritò potest hoc mente supplere.

Quinta: Quando vrget necessitas profitèdi fidem, non potest id fieri recto artificio, sed opus est palàm clarè confiteri, vt diximus

E mus

mus suo loco. Annotabo hîc locum D. Augustini c. 18. Contra mendacium, vbi deplorat licentiam mentiendi etiam contra Religionem grassari. *Quid, inquit, quòd vitæ humani tales amatores, vt eam non dubitent proponere veritati ne homo moriatur; imò vt homo quandoque moriturus aliquantò seriùs moriatur, non tantùm mentiri, sed etiam peierare nos volunt: vt videlicet ne aliquantò citius transeat vana salus hominis, nomen Dei nostri accipiamus in vanum? Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figant finesq; constituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi estis fontes lacrymarum? Et quid faciemus? quòd ibimus? vbi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligimus cauere mendacia, sed audemus insuper docere periuria? Viderint enim insuper assertores defensoresq; mendacij, quale genus vel qualia genera mentiendi eos iustificare delectet. Saltem in Dei cultu concedant non esse mentiendum, saltem sese à periuriis blasphemijq; contineant, &c.*

⁶
Non licet
etiam dum
verè loque-
ris, alio
sensu velle
intelligi
quàm quo
loqueris
nisi vt ve-
rum celes,
quod ce-
andi ius
habet.

Sexta: Peccatum est, in communi sermone, siue rogeris siue vltro loquaris, alio sensu velle intelligi quàm quo loqueris, nisi duo concurrant; Primum, quòd aliter non poteris celare illam veritatem, quæ reuelata damnum inferet. Secundum, quòd istam veritatem ius habeas tali modo tegendi; puta, quia

quia vel Dei honori vel tibi vel proximo tuo eius reuelatio obesset, taleq; incommodum inferret, vt eius vitandi causa meritò à simplicitate sermonis à Domino commendata nonnihil deflectendum videatur, non mentiendo aut falsum enuntiando, sed tantummodò verum tegendo: quam tectiorem licere docet D. Augustinus Contra mendacium, cap. 10. Quando enim duo præcepta Iuris naturæ videntur concurrere, maius præceptum obtinet contra minus in affirmatiuis vtrisque, & negatiuis vtrisque; alioqui contra affirmatiuum obtinet negatiuum: & similiter inclinationes ponderandæ sunt, quando duæ inclinationes diuersarum virtutum etiam citra obligationem concurrunt, aut concurrere videntur. Quando tamen dicimus, concurrentibus duobus negatiuis præceptis Iuris naturæ, cedere illud quod minus est; non hoc volumus, tunc fieri licitum, quod naturâ suâ & intrinsicè malum est omnino & illicitum, & prorsus tale vt malitiam exuere non possit; qualia nonnulla esse diximus in 1. 2. sed hoc solù volumus, illa quæ malitiam exuere possunt, posse admitti, quâdo grauiora vrgent. verbi causa, concurrat præceptum *Non occides*, cum præcepto *Non furaberis*; si fureris ne occidas, fieri potest, vt furtum iam non sit iniustitiæ

E 2

actus,

De con-
cursu præ-
ceptorū &
inclinatio-
nū Regula.

actus, adeoque furtum non fit, sed quadam misericordia. In proposito nostro potest hoc locum habere aliquousque, non tamen omnino: cum enim mendacium in eo genere fit ut numquam propriam suam malitiam exuat, sed semper maneat intrinsece malum, non potes mentiri ne occidas: & in hoc multi errauerunt, quando statuerunt, licere aliquando necesse atis aut utilitatis causa mentiri, ut Platonē sensisse supra vidimus. Itaque si restrictio mentalis mendacij deformatem non tollat, non potest vlla necessitate excusari, quin saltem venialiter mentiat, qui vitandi maioris incommodi causa eam adhibet, quamuis eiusmodi necessitas efficere possit, ne sermo tuus sit iniustus aut iniurius proximo, adeoque non fit mendacium perniciosum proximo, & mortale, quale sine necessitate idem sermo prolatus fortè fuisset.

S E C T I O S E C V N D A.

*Mentalis
restrictio
non est lici-
ta, nisi
quando fit
sine men-
dacio, &
sine alio
incōmodo.
Notabile 1.*

ITaque ut detur casus quo liceat uti restrictione mentali, hīc superest videre, quando ea elidat mendacium, quando non: item an quando à mendacio est immunis, nullum aliud habeat incommodum propter quod fiat illicita. Vbi noto Primò, non sufficere subintelligi à te, vel mente suppleri illam

lam sermonis tui restrictionem, qua desinat
 esse falsus qui falsus alioqui erat: imò quan-
 do non aliud concurrit, sermonem eiusmodi
 tuum non tantum manere falsum, sed ve-
 re ibi esse mendacium. Vtrumque liquidò
 probo. Falsum enim esse quod dicis, quando
 rei significatæ signum orationis non respon-
 det, certissimum est: suppono autem, in pro-
 posito non respondere; dicis enim te non
 fecisse quod fecisti, non scire quod nosti,
 & similia. Neque iuuat quòd subintelligas
 te non fecisse aut non scire, sic vt tenearis di-
 cere; quia illa restrictio non significatur vllò
 modo verbis exterioribus vt suppono, neque eæ
 circumstantiæ hîc & nunc concurrunt, vt
 meritò tale quid subintelligi exterioribus etiam
 significatum iudicari possit. Verba ergo tua
 non sunt conformia menti tuæ, sed contra
 mentem tuam proferuntur, ideoque neque
 mendacij labem effugis: conscientia enim
 tibi dictat quòd feceris, & contrarium enun-
 tias: quòd verò non sic feceris vt tenearis di-
 cere, verum quidem est, sed sola id mente
 dicis, verbo autem exteriori hoc files. Ne-
 que enim consuetudo hominum, qui voces
 rebus significandis imposuerunt, hoc fert, vt
 eo te excusare queas, quòd verbis tuis tam
 restrictam significarionem imponas, vt non
 nisi secundum mentem tuam iam restrictam

*Restringens
 sola mente,
 non tantum
 falsum di-
 cit. sed
 mentitur.*

significant. Si tibi soli loquereris, colorem id aliqué habere possit; sed ijs loqueris quibus significatio talis præstituta est, vt tuam omnino refugiat restrictionem, quando aliud non additur. Manet ergo mens tua in mendacio, si vel mentem aliter verbis tuis, aut verba menti non conformes.

Ex dictis sequitur, numquam licere vti restrictione purè mentali: quia solius mentis restrictio non tollit mendacium. Imò illa ipsa sua restrictione conuincitur non precipitanter fuisse mentitus, sed quodammodò meditatus esse mendacium, quod grauitatem peccati auget, vt docet Gregorius ad illud Iob 27. *Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.*

Notabile 2. Noto Secundò: Quando ratio iusta id postulat, licet vti verbis sensu non intelligendo ab audiente, etiamsi inde futurum sit vt ipse erret, aliter quàm quo dicantur verba accipiens: atque ita licebit vti verbis amphibologicis etiam in sensu minùs obuio. Abest enim mendacium, & suppono aliud incommodum non incurri præter nudum errorem circa sensum verborum: alioqui si audiens ex illo errore alia incommoda incurrat, vel alicui tertio alia incommoda inde eueniant, oportebit prudenti iudicio ponderare an ratio

tio quæ est pro amphibologiæ vsu, præpon-
deret istis incommodis.

Noto Tertiò, eodem modo quo de am-
phibologico sermone sumus locuti, etiam
iudicare nos posse de restrictione mentali,
quando ea aliquo modo verbis exterioribus
propter circumstantias significatur. Quod
faciliùs fit quando interrogati responde-
mus: possumus enim sensum interrogatio-
nis eo modo accipere quando exorbitans
est, quo exorbitans non fit, & quomodo acci-
pi interrogatio ab ipso interrogante debe-
bat. v.g. si inquirat de aliquo quod secretum
esse debet, potes ei respondere quasi nescias,
quia debebat non vltius inquiri quàm
quatenus reuelari potest. v.g. cum sis Legatus
Regis, interrogatus ab alio Principe ad quem
missus es, an Rex cogitet inferre bellum tali
Prouinciæ: respondebis rectè te nescire,
etiam si scias; quia interrogans debebat exi-
gere scientiam huius secreti cum ea restri-
ctione, si dicere id tibi liceat: & quia nemo
præsumitur peccare, meritò præsumis non
alio sensu te esse interrogatum. Dicens ergo
te nescire, eo scilicet modo vt liceat dicere,
satisfacis importunæ interrogationi, eius ex-
orbitantiam quodammodò reducens ad
modum debitum. Quando enim restrictio
mentalis aliquo modo in verbis indicatur,

E 4 dum

No 12. biles

dum hîc & nunc & tali occasione & cum eiusmodi circumstantijs proferuntur, non est maior in eius usu difficultas quàm in usu amphibologici sermonis. Eoque modo possunt Dei aut Christi Domini ac Sanctorum verba accipi, quæ subintellecto aliquo videntur indigere, vt verificentur, qualia nonnulla Cap. 2. protulimus. Si ergo ratio subsit tunc sic loquendi, & absit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet, licebit tibi vti restrictione aut subintellectione mentali: falsitatis enim & mendacij deformitas cessat; quia etiam isti mentis conceptui, qui rei responderet, verba respondent in quodam suo sensu. Vbi obseruo differentiam inter casum, quo locum habeat restrictio, *sic vt debeam dicere*; & illum quo locum habeat restrictio, *sic vt possim dicere*. Prior enim solum locum habet, quando indebitè actu exercito interrogans tamquam debitam exigit responsionem, vt de usurpante officium Iudicis diximus. Alter autem semper locum habet, quando non potes dicere quod interrogaris: qui enim petit à te responsum, cum nemo præsumatur malus aut malè agere, meritò censetur petere responsum possibile, salua lege diuina aut naturali ac æterna. Meminisse tamen oportet, semper satius esse, quando id fieri

com-

commodè potest, silentio aut alio diuerticulo euadere, quàm tali verborum artificio, vt suprà monuimus, vt quàm perfectissimè abstineamus ab omni specie mali.

Noto Quartò: Quando exterius non significatur restrictio mentalis, sed sermo vt sonat, falsus est, mendacium esse ita loqui, non obstante restrictione mentali: & quia frequenter ita solent eius amatores ipsa sic vti, fit vt plerumque mentiantur apertè, dum tectè se verum loqui existimant, & omnino peccent contra virtutem Veracitatis. Est tamen eiusmodi peccatum solùm veniale, nisi simul concurrat obligatio proueniens ab alia virtute, puta iustitia, charitate, aut simili, vt suprà indicauimus. Eleuat nihilominus consuetudo sic loquendi valdè auctoritatem loquentis; & quia est veniale non ex surreptione aut infirmitate, sed cum plena deliberatione, & formato dolo, grauius est in sanctioribus, secundùm doctrinam D. Thomæ 1.2.q.73.a.10. quem ibi securi sumus. Ideoque iste mos agendi longissimè debet abesse à personis spiritualibus, & ijs qui perfectionem sequi profitentur; & omnino ab eorum conuersatione, qui sibi mutuò peculiariter debent sinceritatem. Vnde multa colligi possunt. In primis, non licere filio statim patri suo aut matri aut tutori ambiguis verbis

E s vel

Notabile 4.

Vsus restringendi mentaliter auctoritatem minuit.

Quibus non liceat vti restrictionibus mentalibus.

74 IO. MALDERI TRACTATUS
vel per restrictionem mentalem illudere,
quando ex veritatis aperta manifestatione
aliquale incommodum ipse reuelans incur-
reret, sed sæpissimè accidere vt veritatem
candidè nihilominùs fateri teneatur, eò
quòd debitum candidi sermonis erga pa-
trem sit arctius, quàm vt soluatur prætenu-
vitandi talis incommodi, & maioris incom-
modi sit fucatus sermo inter personas ita
coniunctas, quàm quod ex reuelatione veri-
tatis timetur. Quamuis enim euites fortè
mendacium, tamen non licet æquè facilè
ambiguitate sermonis circumuenire perso-
nam cui peculiariter sinceritatem debes, ac
quamuis extraneam, ceteris paribus. Quo-
circa etiam Scriptura peculiariter prohibet
amicum aut fratrem composito ad fraudem
mendacio decipere, Ecclesiastici cap. 7. *Noli
arare mendacium aduersus fratrem tuum, ne-
que in amicum similiter facias.* Ideò etiam Ius
non concedit personis ita coniunctis actio-
nem de dolo. ff. De dolo malo, L. Nò debet
dari. *Quibusdam personis non dabitur, ut puta
liberis vel libertis, aduersus parentes Patro-
nòsve, cum sit famosa.* item Cod. eodem, L. Si
superstite: *Non de dolo, propter paternam ve-
recundiam, sed in factum actio tibi tribuen-
da est.*

Secundò colligitur, non posse ob vitan-
dum

dum damnum pecuniæ, quod in causa ventilatur, partem ambiguitate aliqua vel mentis restrictione legitimam interrogationem Iudicis ludificare, quia præponderat ius Iudicis. Neque potest cum iniuria Iudicis & partis reus suis damnis in externis rebus temporalibus cauere.

Tertiò hinc infertur, quia in communibus rebus & contractibus plura & magna oriuntur incommoda contra virtutem Veracitatis, iustitiam, charitatem, & alias virtutes per restrictiones mentales & amphibologias, esse eiusmodi artificium, tamquam simplicitati Christianæ & humanæ societati inimicum, ab ijs omnino remouendum v.g. dicunt sibi tanti mercem suam constare: intelligunt autè, moneta Batauica, vbi fortè 8. in centum moneta auctior est, vel subintelligunt non deducto dono, quod in fraudem ipsi ab ijs accipiunt à quibus emunt, quod aliquando est quinta vel sexta pars mercis. Apud Deum non sunt iusta lucra quæ ita conciliantur, sed salutis animæ magna dispendia. Deus non irridetur, qui omnes actus tuos inspicit. Sanè in cõsiderationem venire hac in re debet, publicum bonum priuato, & commune particulari præferendum esse. Esse autem magnum malum Reip. totiusque communitatis, istorum in sermone familiarium

liari

76 IO. MALDERI TRACTATVS
liari diuerticulorum tam liberum esse vsum
vel potiùs abufum, nemo facile negauerit.
Itaque qui ob fua compendia ijs sibi vti lici-
tum putet, expendat priùs quanta difpendia
faciat boni communis; & inueniet malè fe
facere, quod bonum eſſe præſumpſerat.

C A P V T X I.

*Quando, licet non teneamur ex præcepto,
tamen à Deo inclinemur ad abſtinendum
à reſtrictionibus mentalibus in colloquio
cum proximo noſtro.*

PRÆSTRUXIMVS huic Capitulo decifio-
nem in præcedentibus. Generatim ita-
que dicimus, tunc meliùs nos abſtinere à
reſtrictione mentali, quando ſilendo excu-
ſari poſſumus: vel ſimplici non reſtricto ſer-
mone vtendo non tanta incurrimus incom-
moda, vt propter ea vel tantillam ſimplici-
tatis iacturam facere æquum ſit. v. g. eſt ali-
quis vir grauis, rogatur ab eo num viderit
tale quid peccantem hunc aut illum: qui in-
terrogat, non id tamquam Iudex, neque ta-
men ex mera curioſitate inquiri; fieri poteſt
vt liceat circumuoluta mente negare ſe id
vidiſſe, intelligendo aliquid quod aliquo
modo etiam exteriùs ſignificatum conſide-
rari

rari possit. v.g. si dixerit alter, debes mihi dicere an hoc videris, potes dicere te non vidisse, nimirum sic vt dicere tenearis. Si tamen in commoda quæ peccatori aut alteri ex ea reuelatione timeantur, nulla sint; potiùs talis poterit, quàm præter morem suum restrictione mentali vtatur, simpliciter fateri quòd viderit: imò hoc magis virtus Veritatis suadet, nisi charitas læderetur, aut nisi silentio solo defungi apud amicum posset. In hac itaque materia prudens dicet, *Multa mihi licent, sed non omnia expediunt.* Est enim non parua iactura gravitatis (vt in superioribus attigi) venire in suspicionem quòd mentali artificio quis sua dicta saluare studeat. Euitet itaque hoc quantum potest, non tantùm fugiat quando debet. Suadet Christus Dominus sermone nos vti simplici, minimè fucato, & in ea sinceritate pueris assimilari, qui, vt loquitur Clemens Alexandrinus Pædagog. libro primo, vtuntur sermone virginali, tenero ac molli, ac fictioni non affini. Itaque si in hoc pueris similes efficiamur, sequemur monitionem Apostoli 1. ad Corinthios, cap. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.*

*Casus ubi
licitum sit
uti restri-
ctione men-
tali, melius
tamen sit
non uti.*

CAPVT XII.

*Satisfit argumentis quæ contra sententiam
iam probatam obijci possunt.*

SECTIO PRIMA.

ARGVMENTA eiusmodi sunt duplicis generis : quædam sunt eorum, qui omnem vsum tegendæ in casu veritatis aut restrictionis mentalis tollendum esse concludunt; atque ita inferent, omnino non esse vllum licitum vsum subintellectionis, etiam quando subauditioni locum faciunt circumstantiæ. Alia eorum, qui etiam abusum, aut nimium vsum huius restrictionis mentalis licitum esse contendunt.

Ad prius genus pertinent argumenta cuiusdam libelli editi anno 1609. cuius titulus est : *Capitula doctrinæ Iesuitarum & quorundam aliorum Pontificiorum Doctorum.* in quo cap. 4. valdè traducitur doctrina & praxis Catholicorum in hac materia. Itaque Auctor istius libelli nostrorum doctrinam & praxin reprehendit, Primò, quòd ea habeat, licere vti fraudulenta duplicitate coram Magistratu hæretico : item, licere nomina & vestes mutare, fingere & refingere : denique, licere Catholico veritatem

*Calumnia
prima.*

tem tegere, quando ita conatibus suis expedit. Hæc probat ex litteris martyris Campani ad Generalem Societatis, vbi fatetur frequenter se nomen suum in Anglia mutare, & peregrino habitu incedere. Item ex eiusdem alia Epistola de persecutione Anglicana. Item ex Actis Patris Henrici Garneti. Denique ex Nauarro in cap. Humanæ aures, 22. q. 5. vbi inter alia dicat, libere posse Catholicum celare se esse Catholicum.

Reprehendit Secundò, quòd doctrina nostrorum Doctorum habeat, licere etiam coram Catholico Magistratu vti hac duplicitate, etiam in iuramentis, modò solùm subsit iste prætextus, quòd hîc & nunc non legitimè interrogaris, aut quia non à competente Iudice, aut quia existimas aduersam partem fouere iniustam causam. Ista probat ex Nauarro in d. c. Humanæ aures, laudante factum S. Francisci, qui interrogatus num transisset quidam reus, respondisset non transisse, imposita manu manicæ, & intellectu illo, quòd homo per manicam eius non transisset. Addit & Glossam in cap. Ne quis, 22. q. 2. Allegat Nauarrum eundem, ibidem ex D. Thoma dicentem, quòd reus interrogatus à Iudice non procedente legitimè, de suo facinore

*Calumnia
secunda.*

nore non teneatur veritatem fateri, sed possit vti æquiuoca responsione, aut sensu diuerso à mente interrogantis. Allegat & istud, docere Nauarrum, quòd nemo teneatur Superiori aut Iudici non legitimè interroganti aut adiuranti, siue iuramentum exigenti, ad ipsius mentem respondere: & quòd eo casu testis interrogatus dicere possit, se nescire, sic nimirum vt teneatur dicere, tacitè intelligendo. Adijcit, eundem Nauarrum sic instruere eos qui causas in iudicio habent, quando iubentur præstare iuramentum calumniæ, aut de dicenda veritate, nisi legitimè secundùm Iuris ordinem iubeantur, quòd vel fateri vel negare possint proprio suo sensu, non curantes mentem Iudicis. Ideoque non mentiri Monarchas, qui Superiorem non habent, quomodocumque verbis aut factis respondeant, ex propria mente aliud intelligentes, eò quòd numquam legitimè interrogentur. Aggreditur deinde Cardinalem Toletum, qui lib. 4. Institutionis Sacerdotum cap. 11. doceat, eum qui à Superiore suo non legitimè interrogatur, posse amphibologicè respondere sequiori sensu quàm Superior intelligat; eo nimirum quo ipse intelligit. Et si delictum fuerit occultum, posse reum dicere se nescire, eo nimirum modo

modo intelligendo vt teneatur ipsi dicere. Si queratur, an veniat ex ciuitate infecta, posse id negare, mente supplendo, quòd ipse non sit infectus, etiamsi ciuitas vnde venit fuerit infecta, eò quòd contra præcipuam intentionem interrogantis non faciat.

Tertiò obijcit, eorundem nostrorum Catholicorum Doctorum doctrinam habere, quòd non teneatur quisque proximo suo etiam Catholico respondere secundum suam intentionem, sed quòd liceat amphibologijs vti, & interrogantes decipere. Allegat Nauarrum, qui loco suprà citato eo nomine commendat has amphibologias, quòd per eas innumera vitentur peccata.

Quartò obijcit, docere nostros, quòd ars amphibolizandi sit utilis, & bona prouidentia, laudabilis, & verè virtus, & prouida defensio, & idè laudabile esse proverbium, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.*

Verùm ad calumnias istas potiùs quàm argumenta nõ erit difficilis apologia. In primis ad mutationem nominum quod attinet, habemus exemplum in Raphaële Tob. 5. Vt autem hoc licitè fiat, oportet secundum aliquem verum sensum, quem quis in hac mutatione vtens concipiat, & qui etiam ab alijs satis inquirentibus inuestigari

Calumnia
tertia.

Calumnia
quarta.

Ad primam.
An liceat
proprium
nomen mutare.

gari possit, verum sit, talem nomenclaturam ipsi competere, & iustam rationem habeat ea mutatione vtendi. Quando autem causa promouendæ virtutis ita sit, non tantum licitum, sed etiam laudabile est. Sic Raphaël dixit se Azariam esse, id est *auxilium Domini*, & filium magni Ananiæ, quod nomen indicat *nubem Domini*, innuens se auxiliatorem esse à diuinæ gratiæ pluuiâ procedentem. An verò istis conditionibus satisfaciant qui anagrammatis vtuntur, penes curiosos Lectores sit iudicium. Facilius eos excusam qui syllabis transpositis eandem retinent significationem, vtpote si pro Dorotheo Theodotum, pro Nicolao Laonicum, pro Theophilo Philotheon, pro Demonico Nicodemum posuerint.

*An liceat
mutatione
vestium
velle non
agnosci.*

De mutatione vestium minor est difficultas: tantum excipio earum vestium gestationem, quæ alicuius falsæ Religionis habeant significationem ex proprio suo instituto, de quibus diximus 2. 2. q. 3. art. 2. Reliquis vti licet: & quis, quæso, vnumquam Calvinianæ sectæ Mystra aut Minister sibi scrupulum fecit, quod peregrino & mentito habitu sit vsus, vt suæ sectæ venena securius inter Catholicos spargeret? Vidit Antuerpia multos eiusmodi lupos: at non existimo visum ibi vnumquam fuisse vllum laborantem

tantem scrupulo, vt ausus non sit incedere in vestimento ouis. Sanè idem Dominus, qui ad latirandum in persecutione loci mutationem suis Discipulis indulsit, vestis mutationem non negauit. Omitto quòd Dominus ipse nunc in specie peregrini Discipulis, nunc in specie hortulani Magdalene apparuerit. Iacob veste mutata obtinet & retinet benedictionem. Propheta quidam (3. Reg. 20.) etiam pulueris aspersione os oculosque in aliam formam mutat, & ad scenicum habitum sermonem addit laruatum.

Verum est, in Lege prohibitum esse ne quis alteriusquã sui sexus habitu vtatur, Deut. 22. neque placet quod quidam dicunt, hoc solum tamquam veniale prohibitum, quia Textus addit: *Abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.* Malim dicere, propter significationem hoc isti populo grauius fuisse prohibitum, vt eo significetur quàm longè eos oporteat recedere à nefanda venere, de qua alibi: *Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est:* Leuit. 18. simile est cap. 20. In se itaque spectatum etiam hoc licitum est, & à Sanctis vsurpatum. Refert exemplum Ambrosius libro secundo de Virginibus, de quadam virgine Antiochena, quæ in lupanar detrusa, mutatione

vestis suæ in virilem, turpitudinem evaserit. Simile factum Corinthi, narrat Palladius in Historia Lausiaca cap. 149. Aliud exemplum est apud Ruffinum lib. 3. num. 194. Extat etiam in Vitis Patrum historia de quadam sancta Euphrosyna, quæ habitu virili diu in monasterio virorum vixit, & sancta post mortem apparuit etiam per miracula. Verùm hoc exemplum ad ea spectat, quæ speciali Spiritus sancti ductu fiunt, & admiranda potiùs sunt quàm imitanda. Videri tamen potest simile in Menologio Græcorum 24. Decembris de Eugenia virgine & martyre. Illud certum, si hæc mutatio ad finem mortaliter malum fiat, esse mortalem; si ex leuitate, esse veniale peccatum. De se autem, quando mala intentio & scandalum abest, non est peccatum. Itaq; quando hoc prohibet sub anathemate Capitulum Si qua mulier, dist. 30. loquitur in casu quo hoc fieret malo fine, vt Glossa ibi testatur. Vide Siluestrum v. Femina, & v. Habitus.

Licere aliquando occultare veritatem.

De veritatis tectione, cùm eam reuelare præcepti sit affirmatiui, nescio quid controuersæ esse possit, quin certis casibus licita sit, prout Abrahamæ, Iacobi, aliorumque Sanctorum frequenti exemplo docemur. Imò & ipsius Christi, teste Augustino in Psal. 5. *Verum autem occultauit & Dominus, cùm disci-*

discipulis nondum idoneis dixit, Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.

Miramur potiùs hîc nobis posse contradici ab ijs qui rogati, (exemplis libelli contra quem agimus vtor) quónam vadant, quid in peculio habeant, vnde acquisuerint illud, quid scripserint, quid in aurem eis dictum sit? sanè puram putam veritatem non continuò essent prodituri. Si celare veritatem licitum non sit, quomodo sacramentum Regis abscondere bonum est. Quid faciunt Consiliarij Ordinum aut Consistoriorum, qui etiam arcana celare sanctè iurant? Nimis norunt aduersarij illud, *Secretum prodere noli*. Quid ergo peccatur, si non passim cuiquam, etiam amico omnia secreta panduntur, nulla tacita, nulla dissimulata veritate? Græcanica licentia in dispensatoria simulatione aut quibuscumque profuturis mendacijs, numquam eò perripit, vt in negotio Religionis locû occuparet. At nostri, si Superis placet, sinceræ veritatis vindices, suos fratres qui sub cruce sunt, (quod cum Iudæis commune habent) quiduis nostrorû rituum admittere posse docent vt lateant, inaudita impudètia insuper in nôstris minora carpètes.

De veritate alia quacumque, dices, Ita sit, at quomodo euadent Domini sententiam, qui se negaturum dicit eos coram Patre suo

*An possit
quis celare
se esse Ca-
tholicum.*

fuo qui eum negauerint coram hominibus: qui se Christianos aut Catholicos esse negauerint? Respondeo: Qui se negat esse Catholicum, peccat; sed qui celat se esse Catholicum, non quia erubescit de sancta ista professione, sed quia confitendi necessitas non ingruit, & profitendi consilium Domini non habet, non peccat: dicit enim Cyprianus Epist. 83. Dominum magis voluisse nos confiteri quàm profiteri. Quinimò & causam iustam habere poterit celandi se esse Catholicum, sicut & fugiendi: & fieri potest, vt celandi consilium, quando celare illicitum fuerit, loco isto & tempore isto, multum profuit dilatacioni fidei paulò post per eundem Christi seruum faciendæ.

Hactenus diximus ad primam calumniam, eiusque membra.

Ad 2.

Ad Secundam: Vnus hic generalis abusus à sectario istius libelli Auctore admittitur, quòd non satis assequens mentem Catholicorum Doctorum, continuò vt licitum ab eis approbari existimet, quod ab ipsis intenditur ex certo capite non esse illicitum. Quando enim dicunt, ab illegitimo Iudice interrogatum posse respondere diuersa mente, sermone restricto, idem est ac si dicerent, tunc eum non teneri cum eiusmodi Iudice tamquam vero Iudice suo agere: adeoque
si

*A non suo
Iudice in-
terrogatus
potest a qui-
uocè re-
spondere.*

si aliud non obsit, & secundum ea quæ diximus de priuatorum inter se sermone, alia adsint quæ ambiguum sermonem iustificent, licere mentali restrictione, latentem in verbis sic suis circumstantijs vestitis sensum eligere, quomodo mentali restrictione prolato Iacobi nomine, licet ceteris concurrentibus id nominis accipere de Iacobo minore vel maiore. Hoc præmissis, tota quæstio quæ hîc mouetur, non est alia quàm, an recte Iudex non competens habeatur pro non competente aut pro non Iudice, & non legitimè interrogans pro non interrogante legitimè, adeoque quoad hoc pro priuato. Cetera nouam non habent quæstionem: quomodo enim cum priuato agendum sit, suprâ diximus.

Illud mirum, quomodo dicat sectarius, nostros docere quòd possit quis duplicitate sui sensus etiam legitimum Iudicem eludere, quando putaret aduersarium iniustam causam fouere. Eò magis id miramur dici, quòd neminem omnino Auctorem, cuius dicta vel in speciem tale quid præ se ferrent, producere potuerit aut ausus fuerit. Reliqua probare nititur, illud ei suffecit dixisse; apud eos enim egit, qui libenter tamquàm primò veras iactatas in Catholicorum famam calumnias excipiunt. Sanè alienissimi omnes

*Non sufficit te pro
iusta causa
litigare, ut
possis Iudicem
qui-
uocè re-
spondere.*

sumus ab hac opinione. Cùm enim nemo iudicio contendat licitè, nisi iustam causam foueat, adeoque aduersarius iniustam; fiet secundùm hanc opinionem, vt semper Iudicem possit fallere qui iure litigat; quod omnino est absurdum: neque enim ius suum amittit Iudex per iustitiam tuæ causæ, sed ipse debet in suo officio à te honorari; alioqui qui iustus es in causa contra aduersarium tuum, iam iniustæ causæ partes orditis contra communem Iudicem. Quæ de te non secundùm Iurisordinem interrogato dicuntur, eiusdem rationis sunt cum ijs quæ de parte dicta sunt.

*Supremi
Principes
numquam
legitimè
interro-
gantur.*

*Monarchas
maximè
debet veri-
tas.*

De Monarchis & supremis Principibus, qui in temporalibus solum Deum Iudicem habent, verum est, quòd in proposito sine eo vinculo soluti, quo quisque suo Iudici obnoxius est ad veritatem ei significandam & nudè declarandam, quando legitimè fuerit requisitus. At aliæ obligationes dicendi apertè veritatem, quarum in superioribus meminimus, non minùs, imò magis, in Principibus locum habent. Dixerunt quidam valdè insulsè, Deum, quia legem non habet, posse falsum dicere: quamuis enim Deus legem non habeat, est tamen impossibile ei mentiri, quia est ipsa rectitudo, est ipsa veritas. Princeps similiter, quam-
uis

uis humanis legibus solutus, tamen quia Dei est imago, tenetur cum omni sinceritate, veracitatis inclinationem sequi, ne eò magis in Deum aut seipsum peccet, quò minus in proximum tamquam superiorem peccandi occasionem habet. Non peccet, inquam, contra Veritatem interiùs aut exteriùs: odibilis enim est diues mendax, sicut pauper superbus, vt dicit Sapiens suprà citatus.

Quod verò de occultis delictis dicitur, eò spectat, quòd rectè doceant nostri, de per se occultis superiorem hominem in externo foro non habere cognitionem. Addo, Iudicem ex officio aut ad petitionem accusatoris agentem, non habere ius compellendi reum ad suum crimen prodendum, etiam si capitale non fuerit (de quo diximus 2. 2. t. 6. cap. 3. d. 1.) si ita occultum fuerit vt probari in iudicio non possit, & timeatur grauis pœna, vtputa mutilationis, triremium, aut similis.

*Quomodo
reus se
possit habe-
re quando
Iudex eum
examinat
de ijs qua
plenè pro-
bari non
possunt.*

De eo qui Capuâ venerit Romam, vbi Capua putaretur infecta, cum infecta non sit, sentimus, cum talis non legitimè abigi possit, nisi quia à loco infecto venit, quòd nõ abs re dicere poterit, ac etiam si ita compellatur iurare, se non venire à Capua infecta: & si illud *infecta* addendo in verbis, sibi non existimet credendum, sed se cum ma-

*De veniens
re ex loco
infecto.*

gno suo incommodo repellendum, potest id, utpote meritò subaudiendum, mente supplere, secundùm ea quæ suprâ diximus: quamuis grauiores existimem debere esse causas ad iurandum, quàm ad simplici sermone id negandum. Dices, Quid si ciuitas infecta sit, ipse autem non sit infectus, ut certò nouit. Respondeo: Si lege cautum sit Romæ, ne Capuâ (quæ verè infecta est) quis veniens admittatur, lex obligat, iusteque potest repelli inde veniens, etiam si non fuerit infectus; imò etiam si sciretur non esse infectus, non potest ab excubitore aut custode admitti, quem mandatum generaliter obligat. Quia tamen lex ista in præsumptione facti fundatur, habet in conscientia libertatem ingrediendi talis non infectus; præcipuè cum potius iussus sit repelli à custode, quàm vtrò non intrare, & ut suppono, causam vrgentem habeat ingrediendi: tunc enim per *ἐπιεικειαν* potest legem accipere secundùm principalem intentionem Legislatoris, ne humano modo loquendi nimis dura sit, si generatim secundùm verba potius quàm secundùm mentem accipiatur Legislatoris. Cum verò legis executor sit custos vrbis, interrogans vnde venias: nihil mirum si eius interrogationem liceat accipere eo modo, quo licet accipere ipsam legem, atque ita dicere

cere non infectus possit, se Capuâ non venire, ita nimirû vt inficere quemquam possit. Verûm quia non omnino certò nouit an inficere quemquam eo casu possit, propter infectionem quæ etiam vestibus inhæret; verius est talem dicere non posse isto casu, se Capuâ non venire.

Ad tertiam calumniam dico, in superioribus constare, quomodo in priuatis colloquijs restrictione mentali uti liceat, & quando per eam incurrantur, & quando vitentur peccata. *Ad 3.*

Ad Quartam: Quamuis, vt supra monuimus, contingat aliquos hîc similitudine decipi, quæ aliquando non satis circumspetros fallit, quando vitium imitari videtur virtutem, sicuti prodigi se liberales putant; tamen quando concurrunt circumstantiæ in regulis supra traditis à nobis requisitæ, non esse eum modum loquendi improbandum, quo dicatur hîc esse quædam prouidentia laudabilis, adeoque virtus prudentiæ, secundum ea quæ habemus apud D. Thomam 2.2.q.69.a.2. in corpore. *Ad 4.*

SECTIO SECVNDA.

PRÆTER has hæreticorum calumnias, possumus ita argumentari contra usum hunc mentalium restrictionû. Primò, Ostendam

*Arguitur
nullum esse
usum re-
strictionum
mentalium.
Primò.*

Præcipuum
argumentū
contra re-
strictiones
mentales,
quo pro-
bantur esse
mendacia.

dam non carere mendacio eiusmodi locutiones. Si enim Petrus dicat, *Non noui hominem, animo suppleto, purum, sed simul Deum*; nihilominus mentitur, quia eius uerba significant falsum, ut sonant: significant enim quod difforme est ipsi rei, eique connectioni veræ, quæ est inter Petrum & cognitionem istius hominis. Neque refert conceptum esse restrictum, ita ut mente non enuntiet se non nouisse hominem, sed se non nouisse purum hominem: hæc enim restrictio ideò fit à Petro, quia sine ea nouit falsum esse tam in re, quàm in conceptu & voce, se non nouisse hominem, ut obseruauimus supra Cap. 4. Quando ergo enuntiat simpliciter se non nouisse hominẽ, enuntiat id tamquam uerum, quod ipse iudicat esse falsum, quod est propriè mentiri. Hoc autem argumentum omnibus eiusmodi mentaliter tantùm restrictis propositionibus applicari potest. Ergo uniuersim eiusmodi propositiones pro propriè dictis falsis, & earum usus talis pro propriè dicto mendacio haberi debet. Confirmatur, Quia qui aliquid enuntiat, duo significat, & rem ita se habere, quod facit actu signante, ut loquuntur; & se ita in animo suo sentire, quod facit actu exercito. Si primum sit falsum, fieri potest ut non mentiatur; sed propriè mentitur quando secundum

cundum est falsum. Ideò rectè dicit August.
 Enchirid. c. 22. *Omne mendacium ideò dicendum
 est esse peccatū, quia homo nō solūm quando scit
 ipse quid verum sit, sed etiam, si quando errat &
 fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo
 gerit, siue illud verū sit, siue putetur & non sit.*

Secundò, Etiam si in ista praxi non esset *Secundò.*
 mendacium, est tamen mendacij effectus,
 videlicet fallere: quamuis fallere possit sine
 mendacio, vt patet quando figurata locutio-
 ne fallit, & mendacium esse possit quod
 non fallat. Sic enim Giezi mentiebatur Eli-
 sæo dicendo, *Non iuit seruus tuus quoquam;*
 Prophetam tamen non fallebat. Quando
 enim homo homini mentitur, non semper
 is cui mentitur fallitur: si enim nouerit alte-
 rum mentiri, non fallitur. Est tamen, vt dixi,
 mendacij effectus fallere, quia naturâ suâ eò
 tendit vt fallat, vt diximus Cap. 7. Imò quā-
 do intendimus fallere, videmur vel verbo
 vel facto quodammodo mentiri, nisi in illis
 in quibus seipsum potius quis fallit, quàm
 à nobis fallatur; quales possunt esse figuratæ
 locutiones, quando eis bono iure vtimur.
 Tale quid autem non est in hac praxi men-
 talis restrictionis: nemo enim dixerit in illis se
 non fallere auditorem, cum humanam possi-
 bilitatem superet assequi quid sola mente re-
 stringas. Non potest itaque hæc praxis à frau-
 de

de & dolo malo absolui. Rectè autem dixit D. Thomas 2. 2. q. 69. suprà citatus, fraudem & dolum vim mendacij habere.

Tertiò.

Tertiò, Si licita esset hæc praxis, aliquis veterum Scriptorum id aduertisset, aliquis Sanctorum ea vsus esset. Atqui hoc factum esse, ostendi hætenus nõ potest. Quod enim de D. Francisco adfertur, non est propriè exemplum, quia Sanctus nihil in mente seruauit, quin foris expresserit, partim verbo, partim demonstratione manus, affectus interim animo vt Firmus de quo suprà, qui nec hominem prodere poterat, nec mentiri. Sanè D. Augustinum non probasse hanc praxim, vel ex solo c. 18. Contra mendacium, liquidũ est. Est inter eos libros qui Augustino ascribuntur, vt vidimus *infra* Cap. 3. Tractatus de Conflictu vitiorum & virtutum, vbi c. 19. apertè videtur hæc praxis damnari. Ibi enim iste Auctor ponit duos modos fallèdi: vnum per tectam & ingeniosam fallaciam, alterum per aperti verbi mendacium; & de vtroque modo subiungit: *Veritas, inquit, ad vtraque respondet: nec artificioso ingenio, nec simplici verbo, oportet decipere quemquam.*

*Responsio
ad 1.*

Ad Primum istorum argumentorum respondeo, esse verissimum, restrictionè mentalem solam nõ sufficere vt verificet dictum quod in se falsum est; sed contingit, quod
mente

mente adijcitur, implicite etiam adiectum
censeri in dicto externo, quod etiam illum
sensum habere potest qui restricta mente in-
tenditur, propter causas dicendi & con-
currentes circumstantias; & tum demum in-
star sermonis amphibologici, quod per
mentem adijcitur, expungit mendacium in
sermone externo. Quamuis ne tunc quidem
liceat sic auditori illudere, nisi fuerit iusta
causa; sicut etiam vsu venit in ea deceptione,
quæ fit per amphibologiam.

Ad Secundum fateor, etiam tunc quando
veritas saluatur, posse restare fallaciam illicitam,
ob quam abstinendum sit ab artificio
restrictionis mentalis, quia Leuitici 19. non
tantum dicit Dominus, *Non mentiemini*, sed
addit, *Nec decipiet vnusquisque proximum
suum*. sed quando casus emergit, vt alio sensu
ambiguum tuum sermonem accipere tibi li-
ceat, quam quo eum accipiet auditor: credo
simili casu, si concurrant quæ ad veritatem
mentalis huius artificij & externi sermonis
cum eo coniuncti requisuimus, licere hoc
artificio vti, non obstante sequiori intelle-
ctu audientis, ex iustis causis in superioribus
obseruatis. Alioqui regulariter verum est il-
lud Isidori, quod refertur 22. q. 5. c. Qua-
cumque. *Quacumque arte verborum quisque
iuret, Deus tamen qui conscientia testis est ita*

hoc

Restrictio
mentalis non
excusat à
mendacio,
nisi vocem
aut signifi-
cationem
quæ aliunde
verè habet
restringat.
Non excu-
satur vsus
restrictio-
nis menta-
lis tunc
semper à
peccato,
quando ex-
cusatur à
mendacio,
à quo tamè
sæpè non
excusatur.
Ad 2.
Quando li-
cet ampli-
bologico
sermone
tegere ve-
ritatem, li-
cet vti re-
strictione
mentali, quæ
voci signi-
ficationem
aliunde ha-
bitam re-
stringendo
designet.

hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus sit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. In quibus verbis aduerte, quamuis de iurante dicta sint, habere tamen aliquousque etiam locum in eo, qui non iurando verborum aliquo artificio proximum decipit.

Ad 3.

Ad Tertium: Cum eo moderamine, quo iam explicuimus demum licere vti sermone cum restrictione mentali, veteres facile admiserint nostram sententiam: eam enim restringimus ad æquipollentiam æquiuoci siue amphibologici sermonis, quem à mendacio non tantum Patres, sed etiam Scriptura excusant. Auctor de Conflictu vitiorum & virtutum loquitur de artificiose sermonis tecto mendacio, & de illa deceptione quæ fit non iusta tectioe veritatis.

S E C T I O T E R T I A.

HIs argumentis ad dexteram declinantibus, & ab aurea mediocritate virtutum moralium nos ad extremum illum rigorem, contra quem Sapiens dicit, *Ne sis iustus nimis, abripiantibus, dilutis; ea supersunt soluenda, quæ perueritate sinistra, nos in alteram partem suadent posse exorbitare, passim in dolo loquentes proximo, omniaque perturbantes nimia frequentia & nimia licentia restrictio-
uis*

nis mentalis. Sunt autem ferè eiusmodi. Primum, Verba mea sunt indices mentis meæ, ergo ad veritatem sufficit quòd menti meæ respondeant, etiam si non respondeant menti interrogantis. Confirmatur, Quia qui alteri loquitur, non tenetur ei totam mentem suam aperire, sed potest ei solùm vnā partem explicare, & aliam reticere, quod fit in restrictione mentali: sicuti Ezechiel vnā partem reticuit suæ interioris locutionis, secundùm Gregorium, quando quasi ex abrupto cœpit dicens, *Et factum est.* Si dicas, non posse eum qui alteri loquitur, reticere partem suæ mentis, quando illa pars suppressa reddit exteriorem orationem falsam; opponunt, non propterea ipsum effari falsum: quia non intendit illud, quod solitariè sumptum est falsum, solitariè affirmare; sed solùm vt est coniunctum verbis, quæ tacitè subintelligit. Respondeo: Verba seruiunt in vsum proximi exprimendæ menti tuæ: non ergo sufficit, quòd ea tibi restringas, sed oportet talia sint, vt intelligantur aut intelligi possint ab eo cui loqueris; alioqui non facis illum participem veræ mentis tuæ, quod proprium verborum est. Opponis, quòd sit casus quo hoc non tenearis facere. Esto: Regula tamen ista est quam dixi. Tu ne exceptionem nobis pro regula obtrudas, vt re-

*Pro abusus
mentalium
evasionum
Arg. 1.*

gula suo ordine deturbata incipiat esse loco exceptionis, limitata ad legitimam Iudicis interrogationem, aut quid simile. Regula est Mat. 5. *Sit sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* quam etiam Iacobus tradit cap. vlt. his verbis: *Sit autem sermo vester, Est, est; Non non, vt non sub iudicio decidatis.* qui enim dispensatoria simulatione verba sua obuelant, facilè sese exponunt periculo iudicij diuini: & verendum quòd defluentibus sibi verborum folijs non resurgent in iudicio Dei, cui omnia sunt aperta, cui reddenda ratio etiam verbi otiosi.

At prætereunda hîc non est consideratio accuratior, quare Dominus ista geminatione sit vsus, vt dixerit, *Est, est; Non, nō;* inuenimus enim in ea latere quod maximè proposito nostro seruiat. Fortè hoc voluit, potiùs asseueranter loquendum ad rei rectitudinem exprimendam, quàm vtendum iuramento. Certius puto, voluisse præscribere duplicem conformitatem nostræ vocis; vnâ cum re, alteram cum conceptu nostro, vt id efferamus esse quod est, & quod esse sentimus. Benè hoc aduertit Abulensis in eum locum. Imò hanc explicationē, quatenus dicit significari debere verbum nostrum exterius conuenire cum interiori nostro conceptu, ita vt si interiùs dicatur *Est,* etiam

etiam exterius dicatur *Est*; & si intus dicatur *Non*, etiam exterius dicatur *Non*; ideoque dictum esse *Est est, Non non*, sua auctoritate approbavit disertis verbis Innocentius III. cap. *Etsi Christus*, de Iureiurando: *Etsi Christus praeceperit secundum Euangelicam veritatem, Sit sermo vester, Est est, Non non, ut affirmatio vel negatio sicut procedit ex ore, ita procedat ex corde, &c.* Regula itaque Christi est, ut mens non restringat quod lingua non restringit, sed in hoc vtraque sibi consonent. Regula est, Proximo non esse in dolo loquendum, sed vnumquemque debere loqui veritatem cum proximo suo: Ephes. 4. vel, ut Isidorus dicit citatus Cap. 8. proximum non esse dolo capiendum. Quid autem iuuat verba tua verificari, si nihilominus effectum falsitatis in ijs intendas, qui est fallere proximum, & in errorem duplicem ducere; vnum, quo te aliud dicere putet quam dicas; alterum, quo putet rem quae dicitur, aut dici putatur, aliter se habere quam sese habeat? Est verum, quando meo iure vtor tegendo veritatem, eumque in finem sermone tali, quo sit fallendus proximus, vtor, posse contingere ut excuset, si istud cum debitis circumstantijs egero, ut iam in superioribus dictum: sed Christianus non facile se conijciat in periculum diuino iudicio succumbendi,

neque facile præponat certæ regulæ Christi, exceptiunculas suas subinde parum certas.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; neque expedit linguam, cuius facilis est lapsus, tam multis nouis grauare oneribus, ut vix fieri possit quin grauiter cadat in periculosa eiusmodi assiduitate.

Ad Confirmationem respondeo: Quamuis non tenearis totam mentem aperire, teneris tamen non mentiri: mentiris autem, si sola mente illud suppleas quod ad veritatem requiritur externæ orationis, ut dictum est Cap. 10. Itaq; si velis partem reticere tuæ internæ locutionis, fac ut saltem subsistat in veritate seorsim quod exterius dictum fuerit: quod apud Ezechielem omnino factum est, si Gregorij explicationem sequamur. Quamuis & istud monendum putem, quod non sit necessarium recipere illam D. Gregorij expositionem: quia potuit facile aliter dici, Et initio Ezechielis non habere vim coniungendi, sed in illa locutione redundare more Hebræorum, ut aliàs sæpè. Neque ea cuique libertas est, ut ex tempore instituat quid voces à se editæ significant, ut diximus Cap. 4. Si occultis modis barbaricas numerorum notas ad epistolam secretam amico scribendam vsurpes, oportet, ne nihil agas, ille cui scribis intelligat quid velis istis notis. Voces
pro-

prolatæ publici sunt instituti & publici vsus: non licet aliter eas vsurpare, sicuti neque pondera, neque alias mensuras; neque limites agris positos mutare aut transferre.

Secundum argumentum: Sæpè occurrunt *Arg. 2.* casus vbi vel mentiendum esset vel prodenda aliqua noxia veritas. Reperiuntur illi apud Augustinum libris de & contra Mendacium. v.g. quando pater infirmus ignorat obijisse filium, præ mœrore moriturus si nosset, interrogatus de filio amicus, si dicat viuere, aut se nescire an viuat, mentitur, quia mortuum nouit: si dicat mortuum, aut taceat, quia etiam ex silentio mortuum infirmus intelliget, occidit infirmum. Quid aget? Sanè si Augustinus conscius fuisset modi celandi veritates tales per restrictiones mentales, non tam anxius in hac perplexitate fuisset. Cùm itaque similes casus frequenter occurrant, sæpè tamquã ad sacram anchoram erit recurrendum ad restrictiones eiusmodi mentales. Respondeo, eumdẽ Augustinum *Responso.* valdè laudare Firmum Episcopum Tagastensem, quòd cùm vrgeretur prodere apparitoribus homicidam qui ad se confugerat, laudatissimo exemplo responderit, nec mentiri se posse, nec hominem prodere: ita lib. de Mendacio, cap. 13. Ita fieri potest subinde, vt quando angustia nos videntur ad restrictio-

nes mentales adigere, ad euadenda mala imminencia quæ meritò timemus, aut ad assequenda bona quæ meritò procuramus, verè non ita urgentes sint, vt apprehendantur. Deus enim simpliciter ambulantibus sæpè succurrit, vt & fecit isti Episcopo Firmo; quia propter eiusmodi responsum ad Imperatorem tractus, qui Christianus non erat, vsque ad eò mirabilis apparuit, vt ipse homini, quem seruabat, indulgentiam sine vlla difficultate impetraret. Itaque non roties est necessitas harum mentalium restrictionũ, atque vulgò putatur; sed Vnctio docet Deum timentes, quomodo etiam ab illis abstinentes, bonum suæ sinceritatis consequantur effectum. Si nulla sit euasio nisi per restrictionem nudam mentalem, (quam dum alijs non vestitur circumstantijs, suprà iam satis diximus à mendacio non excusare,) oportet de ista restrictione occurrente necessitate loqui, sicuti de mendacio in simili necessitate loquimur; fieri quidem venia dignum peccatum, sed non desinere esse peccatum.

Arg. 3.

Tertium argumentum: Sicuti quæ ioco dicuntur, neminem fallunt tamquam seriò dicta, eò quòd sciuntur ioco non seriò esse dicta; ita restrictiones mentales, quando tantum adhibentur in materia debita, non fallunt proximum, quia satis nouit etiam veraces

ces

ces solere in talibus artificiosè respondere:
potest itaque in eiusmodi materijs passim
quisque restrictione mentali vti. Respondeo: *Responsio.*

Quæ ioco aut figuratè dicuntur, non sunt si-
milia illis quæ mentaliter restringuntur: quia
quæ ioco dicuntur, etiam exterius produn-
tur tamquam talia; quæ verò figuratè dicun-
tur, etiam figuratè intelliguntur, & exterius
quod verum est significant, atque ex publico
vsu vt talia recepta sunt. Quæ verò cum
mentali restrictione dicuntur, plerumque ta-
lia sunt, vt non secùs fallant ac si cum men-
dacio apertè dicerentur: hoc solo discrimi-
ne, quòd auditori ex proposito dicentis cum
mentali restrictione, solù fortè struatur igno-
rantia veritatis, quã sciri non expedit; non au-
tem persuasio falsitatis, vt in mēdacio. Quia
verò, quantum in nobis est, errorem quem-
cumque proximo vel ignorantiam ingerere,
cauere debemus; oportet his mentalibus re-
strictionibus puris non vtamur, præsertim tot
accedentibus & alijs incommodis, quæ iam
cōmemorauimus; eo in primis, quòd restri-
ctio merè mentalis à mendacio non excuset.

Quartum argumentum: Possum materia-
liter verba proferre quæ falsa sunt, quando
ita facere intendo, idque sine vlla mendacij
labe. Possum etiam mendacij notam euade-
re, si dicam partē conceptus mei submissiùs,

Arg. 4.

*De mate-
rialiter
accipiente
verba sua.*

qua saluem veritatem in eo quod elatiori voce dico, vt si dicam clarè latroni, *Dabo centum*; & submissè addam, *sed assignabo apud Prætores*; verum dico, & mendacij labem euito, si id facere & promittere intendam, & præstem sic promissum. Ergo simili modo mendacij noxam euasero, si mente sola addam illud quo veritatem saluem. Respondeo: Materialiter loqui possum, modò id ipsum significetur exteriùs, quòd materialiter loquar: v. g. si materialiter solùm à Pilato dictum velis, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, meritò vrgebant Iudæi, dicendum fuisse, *Ipse dixit, Rex sum Iudæorum*. Submissiori voce addens, sic vt ab aliquo astantium intelligi queat, & ab alijs saltem aduerti quòd aliquid addatur, euadere isto modo poterit mendacium, quasi elisa iam aut suspensa significatione eius quod elatiori voce præmissum est. Verùm qui sola mente aliquid addit, neque aliquid addere, neque quid addat dignosci potest. Manet itaque in mendacij manifesti offensa, quòd exteriùs falsò elocutus est, quidquid occulta cogitatione suppleuerit.

Dico, *qui sola mente aliquid addit*; quia, vt iam frequenter insinuauimus, potest à mendacio, imò interdum etiam à peccato excusari, qui subintelligit quod circústantiæ permittunt meritò subintelligi, tamquam in sermone

Responsio.

De submissa voce, aut sola mente aliquid addente.

Mentalis restrictio licita, sed non purè mentalis.

mone aut alio signo externo antecedente, comitante aut subsequente satis insinuatam: sic enim, vt suprà vidimus Capite 3. rectè Hilarius dixit intelligentiam dictorum ex causis dicendi esse sumendam.

Quintum argumentum est Gregorij à Valentia: Qui illegitimè interrogatur, potest tam liberè verba sua vsurpare ad significandum sensum quem vult, ac si sibi soli loqueretur: atqui apud se potest verba quæ profert accipere eo sensu quo voluerit sine mendacio; ergo etiam quando non legitimè interrogatur. Antecedens probatur, quia per illegitimam interrogationem nihil ei decedit iuris. Subsumptum patet, quia sibi propriè nemo mētitur, vt suprà diximus Capite sexto. Respondeo, Antecedens non esse verum: qui enim alteri loquitur, debet verba vsurpare quæ non tantùm à se, sed ab alijs hominibus, saltem prudentioribus, possint intelligi eo sensu quo ipse loquitur; & si nullo tali sensu vera sint quæ profert, & hoc ipse nouit, omnino à mendacio excusari non potest, vt Cap. 10. Sect. 2. ostensum, & aliquoties iam dictum est.

Sextum argumentum esse potest ex sum-
mario capitis Intelligentia, de Verborum
significatione, quod ita habet: *Verba sunt in-*
telligenda, non secundùm quod sonant, sed se-
cundùm

Arg. 5.
De sibi lo-
quente ver-
bo externo
ficta signi-
ficationis.

Responsio.

Arg. 6.

cundum mentem proferentis. Itaque mens & intentio cuiusque, verbis suis sensum imponit. *Responsio.* Respondeo, non aliter hoc verum esse, quàm quâdo verba sunt ambigua, aut ex circumstâtijs aliter possint accipi quàm sonant, quod est etiam quodam loquendi modo esse ambigua; ideò Regula Iuris similis in Digestis de regulis Iuris ita habet: *In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est eius qui protulisset.* Non rectè ergo dixeris, verba quælibet quidlibet à te cogitatum posse significare: sed quando ad plura sunt ambigua, dicit Regula Iuris, quòd à mente tua priuatim restringi possint, vtiq; ad vnum ex illis sensibus, de quibus dubium esse poterat ex vario vsu publico verborum. Huic affine est quod dicit Hilarius c. *Intelligentia*, suprâ citato, intelligentiam dictorum esse sumendam ex causis dicendi. quod etiam nos volumus, quando dicimus nos posse mente illum sensum eligere, quem circumstantiæ dicti secum ferunt.

Arg. 7. Septimum argumentum fit, ex c. *Humane aures*, 22. q. 5. citato sup. Cap. 3. in quo videtur insinuari, verba hominis diuino iudicio æstimari, non qualia foris sonant, sed eo sensu quo loquens ea intus intelligit. Sed *Responsio.* Respondeo, D. Gregorium istius capituli auctorem nihil tale voluisse; quod ex antecedentibus

dentibus ipsius verbis clarum euadit: dicit enim, Iob non dixisse, *Iustior Deo sum*, quod ei imponebat Eliu; sed cum putaret Deum pro pœna peccati afflictionem istam sibi immittere, & ignoraret pro augendis meritis se flagellari, confidisse, iudicium suum ad victoriam peruenturum, & manifestandum se maiora pati supplicia quàm peccata sua mereantur. Itaque Eliu errasse, quando Prophetæ verba talia iudicabat, qualia foris sonabant; Deum autem, qui intuetur cor, talia ea iudicasse, qualia ex interiori animo erant, quo ignorabat flagella ista immiti ad augendum meritum. eoque sensu addit Gregorius: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde.* Aduertant itaque qui Gregorij isto loco contra nos vtuntur, vt summum eo asseri, quod per restrictionem mentalem Deo nemo mentiri possit, vt pote qui verba sit accepturus quo modo mente restricta sunt. Idem tamen iudicabit omnem illum qui veritatem non loquitur sic cum proximo suo, vt ei non mentiatur, eumque non decipiat; quam fraudem committere illum, qui sola mentis restrictione verum se facere dictum suum putat, ex dictis est manifestum.

F I N I S.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A BRAHAM quomodo Saram dicat uxorem suam esse. 13	Iurandum ea mente qua in- telligeris. 95
Aduocatus an possit reo sua- dere ut neget crimen. 64	Libelli cuiusdam de Restrictio- ne mentali calumnia. 78
Aequiuocatione licere uti, non perinde restrictione purè mentali. 24	Loquens sibi sermone ficta si- gnificationis potest excusari mendacio, non autem lo- quens alteri. 105
ea quæ quando liceat uti. 21. 63. 87	Materialiter falsum proferens non mentitur. 103
Aequiuocatio nõ cõtinuè licet pro iusta causa litigãti. 88	Mendacium non est in Dei verbo. 15
Alberici Gentilis error. 46	Mendacium & fallacia dif- ferunt. 17
Ambigua dicta Raphaëlis, Christi, Iudith. 13. 14	Mendacij definitio. 35
Belli stratagemata licita. 41	Mendacium semper est falsum testimonium. 36
Catholicum se esse celare licet, non negare. 85	Mendacium est venenum an- tiqui serpentis. 19
Deus non utitur in mysterijs fidei amphibologijs. 31	Mendacium non tã facile est in facto ac in verbo. 26. 27. 47
Dissimulare est licitum. 40	Mendacium in quo propriè si- rum. 93
Duplicitas dedecet Magnos. 59	Mentitur qui nescit an verum dicat. 47
Eliseus ambigüè locutus. 13	Mentitur nemo sibi propriè. 42
excusatur à mendacio. 48	neque Deo. 43
Fallere licere hostem extra cõ- tractum mentiendo, error. 46	Michaas & Eliseus ambigüè locuti. 13
Filij ne utantur restrictione mentis cõtra parentes. 74. 75	Monarcharum an sit maior li- centia in restrictione men- tali. 59. 80. 88
Firmus Episcopus Tagasten- sis laudatur. 102	Nescire & non fecisse aliquid an rectè à Soto distinguan- tur. 21
Gratiani Decretum quanta auctoritatis. 39	
Iudith imaginarijs verbis lo- cuta. 16	
eadem nouies hostes verbo decipit. 14	

I N D E X.

Nomen proprium an liceat mutare.	81	quando liceat uti.	63
Oratio mixta, partim vocalis, partim mentalis.	35	peccat eâ homo in seipsum, Deum, & proximum.	61. 62
Perfectionis studiosi vitent duplicitem.	85	Restrictio mentalis non continud licita, quando est sine mendacio.	34. 95
Restrictiones mentales.	73	Reus quomodo se gerere debeat quando de occultis aut qua non possunt probari interrogatur.	89
Peste infecto ex loco veniens, an teneatur id fateri.	89	Sectarij minus indigent restrictionibus mentalibus.	11
Plato aliquando mendacium permittit.	19	Sensu alio quando possis velle intelligi quam quo loqueris.	66
Præceptorum & inclinationum concursus.	67	Sermo mixtus ex mentis & oris locutione, est proximo inutilis.	56
Principes supremi numquã legitime interrogantur.	68	Silvester deceptus per c. Vitalem.	69
deceat tamen maxime eos veritas.	ibid.	Simplicitas & duplicitas cordis.	28
Raab excusatur à mendacio.	48	Simulatio mendacium facti, est contra virtutem Veritatis.	50
Restrictio mentalis est licita, sed non pura.	104	Simulare quoddam licitum.	40.
Restrictione mentali, etiam dum licet, uti nõ expedit.	77	Simulationis quinque modi.	41.
Restrictio mentalis licet, quando licet equiuocatio.	65	Verbis non aequè possumus dissimulare ac rebus.	25. 47
Restrictione mentali melius est silentium.	54	Verborum finis.	50
Restrictiones mentales auctoritatẽ loquentis minuunt.	15. 73.	Verborum sensus ex causis dicendi sumendus.	17
Restrictio mentalis in iudicio.	22.	Veritas inclinat etiam quando non obligat.	58
Restrictione sola mentis an tollatur mendacium.	25	Veritatis virtus quid sit.	50
non tolli probatur.	26. 88.	medium eius.	51
95		Veritatis virtus etiam celando veritatem violatur.	34.
Restrictio mentalis non potest adhiberi ab Hagiographo.	51	32.	
neque ab ullo Scriptore.	ib.		
Restrictione mentali expedit non uti.	59		

Verf.

I N D E X.

<p><i>Veritatem occultare aliquando licet.</i> 21.66.84</p> <p><i>Vestem virilem assumpsit Euphrosyna, quaedam virgo Antiochena, alia Corinthia.</i> 84</p> <p><i>Vestes mutare latendi causa an liceat.</i> 82</p>	<p><i>Virtutum omnium non omnes actus in precepto.</i> 57</p> <p><i>Voce submissa aliquid addens, euadere potest mendacium.</i> 104</p> <p><i>Voces publici sunt institui.</i> 30.101.</p> <p><i>sunt in usum proximi.</i> 101</p>
---	--

Soub. J. J. Paderb. 1636.

F I N I S.

S V M M A P R I V I L E G I I.

PHILIPPI I V. Hispaniarum Regis Catholici, & Potentissimi Belgarum Principis Priuilegio cautum est, nequis IOANNIS MALDERI Episcopi Antuerpiensis S. T. quondam Louanij Professoris *Tractatum de Restrictionum mentalium abusu* praeter Balthasaris Moreti voluntatem vlllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalemve habeat. Qui secus faxit, confiscatione Librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ, xxx. Sept. M. DC. XXIV.

Signat.

De Witt.


ANTVERPIÆ


EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI


M. D.C. XXIV.

ANTWERP
EX OFFICINA PLANTINIANA
MATTHAEI MORTETII
M. DC. XXIV.









Amplius
Significatio
et
Derivatio

Th
2249

De...
...
...

De...
...
...

2.
De...
...
...

EL
17